Olim Fischii
Ex bibl. Morgenstern. 1843.

230

DISSERTATIO PHILOLOGICO-POETICA DE PRINCIPIIS FICTIONVM GENERALIORIBVS.

PARTICVLA I.

QVAM
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM
BENEVOLO ADSENSV
PRO
RECEPTIONE IN EVNDEM
PVBLICE DEFENDET

M. IOANNES GOTTLIEB KREVTZFELD,
PROFESS. POES. ORDIN. DESIGN.

RESPONDENTE
CHRISTIANO IACOBO KRAVS, *Osterod. Bor.*

CONTRA OPPONENTES
IOANNEM FRIDERICVM WORM, *Bartenst. Bor. Theol. Cult.*
EHREGOTT ANDREAM CHRITOPHOR. WASIANSKY, *Reg. Bor. Mathem. Cult.*
SAMVELEM ERNESTVM NOHR, *Regiom. Bor. Theol. Cult.*

DIE 25. FEBR. MDCCLXXVII. IN AVDITORIO MAIORI.

REGIOMONTI,
TYPIS SACR. REG MAIEST. ET VNIV. TYPOGR. G. L. HARTVNGII.

II 4770

Bibliotheca
universitatis
Jurievensis

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

IACOBO FRIDERICO

DE **ROHD,**

AVG. BORVSS. REG. INTIMO STATVS ATQVE
BELLI ADMINISTRO,
SVPREMO REGNI BVRGGRAVIO,
SVMMI APPELLATIONVM TRIBVNALIS
PRAESIDI EMINENTISSIMO,
ACADEMIAE REG. CVRATORI GRATIOSISSIMO,
TERRARVM SCHOMBEHNEN,
KLEIN-LAVT, &c.
DOMINO HAEREDITARIO.

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIDERICO ALEXANDRO DE KORFF,

AVG. BORVSS. REG. INTIMO STATVS ATQVE BELLI ADMINISTRO, REGNI BORVSSIAE CANCELLARIO, IVDICII AVLICI PRAESIDI EMINENTISSIMO, RERVM FEVDALIVM ET MONTIS PIETATIS SVPREMO MODERATORI, TERRARVM BLEDAV, KORBEN, MOLEHNEN, WEDDERAV, RIBBEN, &c. DOMINO HAEREDITARIO.

REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIDERICO GODOFREDO DE GROEBEN,

AVG. BORVSS. REG. INTIMO STATVS ATQVE BELLI ADMINISTRO, REGNI BORVSS. SVPREMO MARSCHALLO, CONSISTORII PRAESIDI EMINENTISSIMO, ORDINIS IOHANNITICI EQVITI, TERRARVM WESLIENEN, SCHOENWALDE, ROEDERSDORFF, &c. DOMINO HAEREDITARIO.

Bibliotheca universitatis Jurievensis

REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

LEOPOLDO

S. R. I. COMITI DE **SCHLIEBEN,**

AVG. BORVSS. REG. INTIMO STATVS ATQVE

BELLI ADMINISTRO,

COLLEGII PVPILLORVM CVRAM GERENTIS

PRAESIDI EMINENTISSIMO,

RERVM SCHOLASTICARVM SVPREMO

MODERATORI,

ORDINIS IOHANNITICI EQVITI,

TERRARVM ALT-HAVS, GERDAVEN,

SANDITTEN, &c.

DOMINO HAEREDITARIO.

BORVSSIAE

PATRIBVS ET MODERATORIBVS

RELIGIONIS ET LITTERARVM

OMNISQVE HVMANITATIS

PROTECTORIBVS

ET

PROMOTORIBVS,

DOMINIS

ET

MAECENATIBVS,

GENEROSISSIMIS, GRATIOSISSIMIS

DISSERTATIONEM HANC

MENTE PIE DEVOTA

D. D. D.

IOANNES GOTTLIEB KREVTZFELD.

§. 1.

Non graecos tantum et romanos, ſed et omnes, quas barbaras vocant, omnium aetatum gentes, orientales et boreales fabulis abundare et fictionibus, (*a*) plane notum eſt iis, qui vel ipſi, ſicut Herodotus olim et Pytheas itinera fecerunt, vel itineraria, multa a Veteribus, plura a recentioribus Periegetis tradita, adierunt. Graecorum quidem et romanorum fabulae a multis, multa cum induſtria, in ordinem et corpus, variae quidem ſtructurae, dige-

 ſtae

(*a*) Fictiones hoc loco, licet familiari ſenſu et ſtrictiori ſnmſerim, cum fabulis poeticis promiſcuas; tamen in diſſert. continuatione latiori ſenſu ſumtas anticipando monere volui: vt in iis non προσωποποιικα poeticae ſolum contineantur; ſed qualiſcunque opinio poetica, non tam veritati obiectiuae, ſeu abſolutae, quam apparenti ſeu relatiuae congrua.

ſtae ſunt. At certe, ſi barbarorum μυθος ſedula quaedam manus digerere vellet, et conſtruere; iſti non indignum ſiſterentorbem, anguſtiorem licet graecorum mythis, claſſicaque dignitate inferiorem; quia nondum his, ſicut illis, ornandis Poetae et artifices doctas manus admouerunt.

§. 2.

At, huius operae, quaenam gratia foret, quinam fructus? Leuis, ac fere nullus, ſi eadem temeritate tractarentur, qua mythi claſſici a plurimis tractari ſolent. Hos enim iuuat, nugas ineptas ruminari, ſatiarique, puerorum inſtar, varietate fabularum et monſtris. Illi tantum ſtudio polymathiae inſatiabili ſatisfacientes, cortice fabularum, non nucleis ventrem implent. Alii aut ex abſurditate fictionum riſus captant male ſobrios; aut nimis religioſi, operam nugis profanis impenſam excuſare ſimul et ſacrare ſtudent eo, vt fabulas pia ſaepe fraude detortas ad pium horrorem et tam nefandae caecitatis miſerationem excitandam proſtituant. Meliori procedunr via, et plurimi, qui quidem fabulas in tantum noſſe ſatis habent, vel, quantum poetis legendis, ac picturis et ſtatuis intelligendis inſeruire; vel, quantum ad materiem aeſtheticam ſibi praeparandam neceſſarium exiſtimant. Melius quidem hos; ſed non abſoluiſſe rem puto.

§. 3.

Illi contra, qui in fabularum origines deſcendere, licet diuerſa via, auſi ſunt, ſoli Mythologorum nomen videntur mereri, et laudem eo maiorem, quo magis ſua ipſorum ſapientia neglecta, hypotheſi nulla corrupti, ſe medios in fabuloſa αιωνος αδηλου antra immittunt, vt redeuntes eo certius nobis narrent, quo ſemine, quo fortuito rerum confluxu, quibus incrementis monſtroſi illi mentis humanae partus nati ſint; et qua auctoritate per tot ſecula et gentes firmati regnauerint. Ad hanc Mythologorum claſſem refero partim illos, qui Evhemerum (*b*) ſecuti omnes

(*b*) *Evhemerus*, non primus quidem, ſed celeberrimus fuit inter eos, qui

nes Deos ex historia deriuare conati sunt; sed successu plerumque dubio; partim, qui suo nimium ingenio indulgentes, sub fabulis omnem Physicam, Ethicam, Politicam, Allegoriis inuolutas latere suspicati sunt, vt veteres fere omnes philosophi et stoici (*c*), et Platonici; et nostris saeculis, Baco de Verulamio, Pluchius, et reliqui. (*d*) Deinde, qui tutissimam viam ingressi, Deos omnes naturales affirmarunt, vt Vossius. Omnes fere hi in hoc conueniunt, vt disquisitionibus suis, vbi fluctuant, auctoritatem; vbi male cohaerent, iuncturas dederint Etymologiis, saepe natiuis, saepius insolentibus. Bene semper, si tantum adstructae sunt Etymologiae, quasi supplementa, systemati; male, si tanquam fundamenta, (*e*) substratae.

qui Mythologiam historice explicare aggressi sunt. Tempore successorum Alexandri scripsit historiam sacram, ab Ennio in latinum translatam. Fragmentum Eusebius ex Diodoro seruauit nobis; et Ennianae versionis aliud Lactantius (lib. I. de falsa relig. p. 62. edit. Gallaei). Ex inscriptionibus et titulis in intineribus suis historiam suam sublectam praedicat: praesertim e monumentis templi Iouis Triphylii, in insula Panchaea, quod quidem romanensem fabulam sapit. Multos habuit semper aduersarios, Allegoristas quto; idem magnam quoque defensorum turbam, quorum nouissimus est, *Abbé Foucher*, qui Echemerum Atheismi accusatum absoluit: *dans ses Recherches sur l'origine et la nature de l'Hellenisme, ou de la Religion de la Grece. IV. Memoires. Systeme d'Evhemere à Paris* 1772.

(*c*) Phurnutus, vt vnum pro omnibus nominem, qui librum de *natura Deorum, Opusculis mythologicis Gallei* insertum, scripsit, in quo fabulas de Diis philosophiae stoicae placitis accommodare, illasque ad Physices pariter ac morum praecepta traducere studuit.

(*d*) Quorum recentissimum opus est: *Monde primitif, analysé et comparé au monde moderne par M. Court de Gebelin.* à Paris 1773. gr. 4.

(*e*) *A new system, or an analysis of ancient Mythology. Vol. I. by Iacob Bryant, London* 1773. In quo Etymologiae ex lingua Cuthaeorum, quos Chami posteros coloniarum omnium nobiliorum conditores subsumit, continuae omne constituunt fundamentum, cui enucleationes eius superstructae sunt.

§. 4.

At vero, nec consilium nobis est, nec facultas, singulorum, quos laudauimus, operam vel examinare, vel emendare: certe tamen puto, lucem, quam singuli fabulis affundunt, ambiguam semper fore et incertam; nisi tam sollertes fuerint in interiore hominis natura obseruanda, quam in caussis adscititiis et externis fuerunt. Quales si fuissent: analogiam, quae inter fabulas omnium gentium et aetatum non obscura intercedit, multo minori sumtu et periculo detexissent, quam plerisque accidit. Arcanam cognitionis sensitiuae officinam aperire debuissent, vt intelligi posset, qua methodo vis cognoscitiua exserat se, in rudibus animis, nulla disciplina imbutis. Non alia ratione detegere licet tam mira phaenomena in idololatria, in sacris ritibus, in poesi, in veterum linguis, eademque in veterum philosophorum et recentiorum opinionibus deprehensa. E quibus pateret luculenter, homines vel saeculo vel gente diuersos in eodem rerum statu ad easdem fere opiniones et fictiones relabi; omnes iisdem erroribus obnoxios, ita, vt, si barbaros stupori et superstitioni immersos dolemus, nostram quoque rem agi; et, si ridemus, nos nosmetipsos ex eodem luto formatos, deridere meminerimus.

§. 5.

Dum in hanc tandem de fictionum analogia consultationem incidi: non inuitus subsisto, vt *generaliora* quaedam principia ex humana mente eruam, quibus omnes omnium gentium aetates actae, tumultuarium sibi quoddam fabularum, monstrosarumque opinionum corpus constituerint. Propria quidem singuli cuiusque populi et aetatis mythi forma, colore, structura differunt; singuli quidem caussis domesticis originem debent: Nam quo longius fabularum consuetudo et vsus progreditur; eo plures externae caussae concurrunt, ad amplificandam ornandamque fabularum congeriem. Ad quas vt pote referenda, quae Bannierus disquisitionibus suis mythologicis praefixit: *Coloniarum conditores; inuentores artium; scriptura sacra male intellecta; ignorantia*

lingua-

linguarum: methodus veterum ſapientum in docendo ſymbolica; Aegyptiorum et Phoenicum idololatria Graeciae illata; varietas et congruentia nominum propriorum; concubitus Deorum cum feminis mentitus: ſacerdotum fraudes; regum politice; adulatio: Poetae; Pictores; Scena. Quae ſane ad hunc vel illum, huius vel illius populi mython detegendum maxime commoda ſunt, et laudem ſuis inuentoribus pariunt: at eadem nonne ſupponunt iterum principia quaedam mentis humanae generaliora, quae omni fabularum generi, in omnium aetatum populis communia ſunt? Quippe quae tentare, non exhaurire noſtrum conſilium; ſic, vt non tam cauſſas fingendi impulſiuas et occaſionales; quam ipſum in fingendo humani intellectus actum inueſtigemus.

§. 6.

Primum, notiſſimam hanc e Pſychologia obſeruationem mutuam ſumo: hominem ſenſibus eſſe obnoxium, ita, vt intellectus plane rudis et omni diſciplina vacuus, non alia ratione, quam ſenſationibns externis excitetur; et ſenſibus ſenſim auctis, cognitio quoque ſenſim augeatur, et iudicium et ratio. Senſationes igitur, primi mentis humanae magiſtri; quibus ſine nec ſenſus ipſi inter ſe conſtarent vnanimes. Methodi, qua ſenſus hominem rudem informant et ideis inſtruunt, non lucidius exemplum quenquam dediſſe nec veterum nec recentiorum memini, quam Buffonium (*f*), in homine, quem ſibi fingit recens creato. Eandem paene ſenſationum vim quotidie in infantibus et nationibus incultis videre licet. Et philoſophi (*g*) ipſi, hoc

 ſenſuum

(*f*) *Hiſtoire naturelle, generale, particuliere, avec la deſcription du Cabinet du Roi,* 1749. Tom. IV. p. 512 etc. In quo loco, nescio, philoſophum magis, an poetam admirer.

(*g*) "*The man, who wonders, who is at a ſtand, how to account, for what he ſees, is ſtill ignorant, and ſtill in ſearch of the truth Wherefore every real Philoſopher is in ſome reſpect a Mythologiſt, a lover of Fable and Allegory.*" Homo, qui admiratione plenus, qui in reddendis rerum,

ſenſuum magiſterium non omne prius excutere ſperent, quam animus, corporis vinculis ſolutus, ad aſtra ſeceſſerit. Ad omnia ſtupet inſcius, tanquam noua, infinita, immania, diuina. Tantum differt a noſtra mentis diſciplina incultarum mentium ſtatus. Quae noſtros ſenſus leuiter tantum feriunt mundi phaenomena cum illorum animis in vnum quaſi coaleſcunt. Illi, vt ita dicam, omnia interna extra ſe agi ſentiunt. Nam illorum ſenſus, nulla iam abſtractione debilitati, omni cum tenacitate mundi obiecta arripiunt, imbibunt: nos, iam reflexionibus vniuerſalium adſcititiis praeparati, impreſſiones rerum ſemper iudicio praeuertimus; quo frangitur ſenſationum efficacia.

§. 7.

Cum igitur humana mens percipere res, diſcernere, ſociare non alia via diſcat, quam ſenſuum ope, qui non vniuerſalia, ſed indiuidua menti ſuppeditant: pro poſitu corporis ſui, et pro ſphaera ſenſationum extenſiori vel arctiori, ſphaera intellectus determinatur, arctior vel extenſior.

Plures iam ad hanc legem fictiones ſe componunt, pluribus populis communes. Inde nationes, quae a caeteris vel marium, vel montium obiectu excluſae, nullam aliam regionem viderunt, vel audierunt, patriam terram et vnicam et potiſſimam et antiquiſſimam exiſtimant. Graeci nullum alius regionis locum, ſed Delphos vmbilicum terrae ſtatuunt, et Iouis ipſius auctoritate. Idem de Sinenſibus notum eſt, qui ante Europaeorum aduentum, licet iamdiu multam doctrinam, mechanicam et aſtronomicam ambitioſe profeſſi, ſe mediam et maximam terrae quadrangulae partem inhabitare praedicarunt. Eandem opinionem, et caeteris barbarorum frequentem et familiarem nemo mirabitur, qui meminerit,

rerum, quas videt, rationibus haeret. veritatis adhuc ignarus eſt, et illius adhuc ſcrutator. Ideo verus quilibet Philoſophus ex aliqua parte Mythologus eſt, fictionis et allegoriae amator." *Lettr.* 17. *p.* 269. *Lettres, concerning Mythology.* (*by Blakwell*) London 1748.

meminerit, homines vltra ſenſuum regionem non aeque iudicium ac phantaſiam poſſe extendere.

Inde quoque intelligi poteſt, quomodo fiat, vt gens inculta fictiones et fabulas ſuae quaeque regioni et patriae accommodet ita, vt, ſi vel peregrinae et aduentitiae fuerint, progreſſu temporis domeſticam faciem et colorem indutae, videantur indigenae. En Cosmogonias, in quibus omnium fere fabularum ſemina contenta reor. Iam quidem ante Democritum, Carteſium, Whiſtonum nulla gens fuit tam rudis, quin vel ex ſuo quaeque ingenio, vel ex traditione peregrina rerum originem et Deorum et hominum deduxerit. At, licet inter omnes multa analogia intercedat: proprius tamen cuiusque color et facies patriam ſtatim prodit, vbi enata vel educata, inuenta vel exornata fuerit! Luculenter apparet, ex ſimilitudine non fortuita, Cosmogoniam Graecorum, et Gigantum Titanumque pugnam a Phoenicibus eſſe traductam: at vero tamen, tam bene ad Graeciae regionem ſunt accommodatae, vt quiuis facile credat domeſticas et in Graecia natas. Vel, ſi per mare atlanticum ad Patagonas tranſimus, narrabunt nobis Cosmogoniam patriae ſuae omnino congruam, Primum nempe hominem a Diis bonis in antro immenſo fabricatum *Patagonium*, qui omnibus belli et venationis armis inſtrnctus emicuit; tum minores omnes beſtias ex hoc originis antro prodiiſſe; deinde maiores. Cum vero iuuencam et bouem, cornibus munitos, conſpexiſſent Patagones; obſtupefactos antrum obſtruxiſſe lapidibus; vnde etiam nullis ante bouibus vſos, quam hiſpani primos antro illo excluſos, aduexerant. (*A Deſcription of Patagonia, by Thomas Falkner, London* 1774.)

Sic vniuerſam cuiusque gentis mythologiam ſemper conformem videmus obiectorum orbi, quae ſenſibus magis obuia ſunt, familiaria, propiora, quam alia. Quid ergo mirum, ſi ſenſationum orbe mutato, mutari ſimul videmus ordinem fabularum et dignitatem et faciem. Inde *Canopus*, Aegyptiis: Chaldais *ignis*

nis praecipuus. Apud alios *sol* primas tenet; apud alios *Luna*. Deorum ſedes *Olympus*, et beatorum Elyſium, pro diuerſo gentium ſtatu finguntur aeque diuerſa, ac tartarus; qui quidem ab Indis, Graecis et ſeptentrionalibus horrore plenus, ſed a ſingulis tamen peculiari et domeſtica materia exſtruitur. Quare fit etiam, vt fabulae huic genti familiariſſimae, illi, quoniam obiecta deſunt, tam ignotae ſint, vt nullam fidem habeant et voluptatem: ſicut *Typhoeus* vel *Enceladus*, vel *Loke*, ſiculis, Arimaeis, Islandicis noti et tremendi, nullius ſunt Aegyptiis aut Arcadibus.

§. 8.

Quum igitur homo, ſenſibus ſuis magiſtris et ducibus, minus nota e notioribus, e propioribus remotiora diſcere et explicare ſibi debeat; ſuam ipſius naturam ad omnia remotiora cognoſcenda, et minus nota inueſtiganda conſulat ſemper neceſſe eſt. Quod hominis, omnia ad ſe transferendi, ex ſe deriuandi ſtudium, poſtquam cum primo vitae halitu ſe ſemel exſeruit, nunquam in vita ceſſat; omnes ſenſationes noſtras comitatur, auget, ornat. Scilicet, ad omnia, quaecunque molimur, mouemus, agitamus, nos a mente, ab ingenio, a voluntate, ab impetu quodam interno incitatos ſentimus. Inde, quamdiu intellectus, intimis rerum ſcrutandis nondum aſſuetus, plures effectus ex vna ſimul cauſſa, et quidem machinali, deduci poſſe ignorat: tamdiu qualemcunque rei inanimatae motum vel effectum, legibus mechanicis obedientem, vel quasdam qualitatum humanarum analogias ſtatim ſuſpicamur, a mente, voluntate, ingenio, ſpontaneitate humana profectas. Omnes ſimul animi appetitus et παθεα et mores in caeteras res, quae ſub oculis poſitae ſunt, et animales et inanimatas deriuat intellectus rudis; nec illa ſe rebus dediſſe meminit, ſed ingenita opinatur. Semetipſos in omnibus rebus imprudentes deprehendunt, et ſicut in ſpeculo lympharum *Eva Miltoni*, ad ſuam ipſorum faciem ſtupent, vt alienam.

§. 9.

Quae in re, tanquam fundamento, omnis poeſeos origo, vis et natura comprehenditur. Hoc enim errore praecipitati, ſtatim mortales omnibus naturae partibus, elementis, phaenomenis ſuam cuique mentem et animam addixerunt; ſignis coeli, quae ſponte moueri, et plantis terrae, quae ſponte creſcere videbantur, Daemonas dederunt et Nymphas, varias genere, et innumerabiles:

Δαιμονας θεανιθς, καὶ ηεριθς, καὶ ἐνυδρους,
Καὶ χθονιθς, καὶ ὑποχθωνιθς, ἰδε πυριφοιτθς.

Orph. Hymn. Prooem. p. 32.

(Animas vero, quae temerarie et ſine conſilio partibus mundi intruſae ſunt a rudibus ingeniis, prorſus ab illa *mundi anima* diſcerni volo, quam ſeriori tempore philoſophi omnes fere, Epicuraeis tantum et caeteris fortuiti caſus caecique fati defenſoribus exceptis, ſtatuerunt vnam, aeternam, intelligibilem, incopoream, vim creatricem et motricem, cuius humana mens tenuis quaſi effluxus eſſet.) Graecorum in hac parte et romanorum fictiones praetereo, quae vel tironibus tritae ſunt, et facile accuſari poſſent, tanquam magis poetarum arte excultae, quam naturae impulſu fuſae eſſent. Contra libet fabulas aliquot genti cuidam barbarorum ſingulari ſublegere, quae naturam tam in ſede, quam victu habet malignam; maxime vero benignam in fabularum et ingenii vbertate. Kamſchadalos (*h*) puto, quorum

 Might,

(*h*) Siue Italmenos, quorum mythologia inprimis mihi memorabilis videtur eo, quod apertiſſimum ſit exemplum, quantopere opiniones de Diis populares ſtatui cuiusque populi proprio reſpondeant. Italmenis ingenita videtur blaſphemiae libido in Creatorem ſuum, quem *Kutka* vocant, cuius in opere, mundo ſcilicet, carpendo, vtuntur inſolentia non minore, quam *Alphonſus*. Iocoſus ille de moribus Kutkae, ſcurrilique ingenio μυθος, et de bello cum muribus lepidiſſime geſto, tanta eſt euentuum et factorum ſerie aptatus, vt

Migght Daemon marinus; *Uſchachtſchi*, Syluani; *Kamuli*, montani Dii; in nubibus ſedens, *Billukai*; *Xſolus*, qui capillos concutiens hiſpidos circa frontem, ventum efficit; cuius vxor, *Sauina* Huhught auroram matutinam et veſpertinam producit. *Tuil* traha vectus, cui canis *Koſcia* aptatus eſt, motum terrae excitat. Pluuiam mingit alius Daemon, ſe cingens Iride, tanquam veſte, vt deſtillet vrinam pudice. Quem fingendi pruritum, omnium animis ingenitum per caeteras terrae gentes vlterius perſequi, non quidem alienum eſſet a re noſtra, nec difficile; ſed otioſum.

§. 10.

Fictiones noſtro ſenſationum orbe mutato et ipſas ſemper mutari, mox augeri, mox coerceri, ſatis oſtendimus. Nec tamen otioſum fuerit, et linguas humanas paulum conſulere. In linguis, quae populorum certiſſima ſemper ſuperſunt monumenta, locuplectiſſima fictionum gaza reconditur. Et recentiorum et cultiorum gentium linguae, licet intellectus cultura etiam linguas excoluerit; et, ſicut magicas in rebus naturalibus vires ſic in vocibus efficaciam animamque deleuerit: ſemper tamen aliquid de priſco illo vigore et magia diuina retinent. Quamcunque enim, vel Metaphyſicorum linguam, abſtracta, praedicata accidentia, non aliter ac indiuidua; et ſpiritualia, ac corpora

vt nulli Naſonis fabulae cedat monſtroſa licentia *Kutkae* vxorem vero *Chachy* ſapientiorem marito praedicant; quippe quae, quantum in confuſo creatoris opere corrigi liceret, correxerit. Apertum autem videtur, omnes de Kutka et Chachy fabulas ex ingenio mulierum de viris ſuis detrahentium, fluxiſſe. Petulantia enim et aſtutia ineſt plane muliebris, et laſciuia quaedam viris inaudita. Et qui aliter; cum feminis in hac peninſula a maritis tota auctoritas virilis ſponte conceſſa ſit. Viri torpent ignauia, re domeſtica tota fere feminis relicta. Hae igitur in grauioribus negotiis verſatae, et verſutiam ſibi colligunt et auctoritatem. Nam bella et magiſtratus et publica negotia nulla ſunt, quibus virorum virtutes exerceri poſſent. Itaque ſedulitate ſua, vnde virorum commoda et vita pendent, ius ſibi; et prudentia ſua exercitium principatus vendicant.

pora tractare nouimus: quibus omnibus, ſicut rebus animatis, facultatem, actum, ſtatum vel ſaltim genus tribuunt. Ita, vt tota fere lingua nil aliud ſit, quam Allegoria, ſiue *orbis* allegorice aut mythologice *pictus*. In linguis veterum originalibus et barbarorum, luculentius, quod aſſerui, apparet. Quorum ſi elocutionem attendimus: commotae phantaſiae officina affectuumque vehementium nobis aperitur. Tropis, figuris abundant audacibus, feruidis, inexhauſtis; non Rhetorum praeceptis, ſed naturae, phantaſiae, affectuum ſtimulis ducti. Nam qualem in ſymbolis, Allegoriis, hiſtoriis mythicis ſequitur methodum affectus et phantaſia; eandem et in metaphoris, metonymiis, Synecdoche, in Proſopopoeia et caeteris ſtyli coloribus obſeruat. Vere ſunt haec omnium fictionum maiorum embryones. Et hae minores et illae maiores eodem naſcuntur fonte, e ſimilitudine et coniunctione ſenſitiua. Inde facile intelligitur, quod magna pars mythorum apud Graecos et caeteros populos, e lingua cuiusque tropica et figurata conflata ſit; dum phantaſia poſterorum luxurians his fictionum ſeminibus incubuit, eaque excoluit. Vnum et alterum modo e tanta copia depromere liceat. *Targitaum* narrat Herodotus, primum Scythiae Europaeae conditorem tres genuiſſe filios, *Leipoxain*, *Arpoxain* et *Kolaxain*. Quorum ſub triumuiratu in terram ſcythicam cecidiſſe de coelo, aratrum, iugum, ſecurim, phialam, ſingula ex auro ſolido conflata. Quae cum maiorum natu neuter tangere auderet, quia flagrare videbantur aurea coeli dona; minimus vero prehenderet illa, domumque ſuam deferret: huic illos maiores totum regnum tradidiſſe. An vero rudis populus, qui non minus linguae copia, quam vitae neceſſariis carebat, primum et fortuitum et benignum agriculturae recens inuentae vſum felicius adumbrare poterat, quam his tropis? Minimus natu forſan erat inuentor aratri, tanquam muneris pretioſi, benigni, noui, diuini, de coelo miſſi. Sic fabulae de Siſypho, ſaxum voluente, origo latet in ſymbolo ſaxi, vt indicet vitam regis indefeſſi in terris olim aerumnoſam. *Neptunum* produxiſſe *primum equum*, notiſſima fabula eſt: vnde

etiam ἵππιον cognominatum. Quid magis elucet, quam, cum metaphora audaciori priſcus loquendi vſus *equum* nauis ſymbolum faceret, ſiquidem Homerus in pluribus locis naues vocat Neptuni ἵππους, primam *nauem* a Neptuno fabricatam aut monſtratam. Inde quoque forſan Danai equum, *nauis* ſymbolum dedicarunt iratae Palladi votum, pro nauigatione felici. Monſtroſa quoque illa de *nube* et de *Centauris* fabula non aliunde orta videtur, quam ex Metonymia in plenam hiſtoriam detorta. Nam cum illi, qui Pelion montem inhabitabant, ad Ixionem genus ſuum referentes, ab aliquo vetere poeta a celeritate curſus κενταυροι (οἱ κεντουντες την αυραν, auram ſecantes) et ἱπποκενταυροι appellati eſſent: ex aura facile facta eſt νεφελη; et hinc reliquae nugae de Iunonis, tanquam aeris, amplexibus. E tropica dictione traductum videtur et illud monſtrum marinum, quod Chaldaei narrant, ſecundum Beroſi fragmentum, a Syncello ſeruatum, prodiiſſe ex Erythraeo mari, non procul a Babylone, ſemipiſcem et ſemihoninem, nomine *Oannem*, qui perdius inter homines et pernox ſub vndis degebat. Eadem figura, ſi relatum fuiſſet, deſcripſiſſent forte Mexicani primum *Cortezae* et *Columbi* aduentnm. Noſtro autem ſermone nudo et pedeſtri dixiſſeut, primum nautam ad littus per mare erythraeum, naui Babyloniis prius non viſa, appuliſſe, qui perdius in terra verſabatur inter homines, et pernox in naui ſua latebat. Itidem ex metaphora diducta et inflexa Poetae Apollinem et ſolem fecerunt *Cytharoedum*. Sol enim annuas tempeſtatum viciſſitudines et planetarum curſum regit tanto ordine et concordia, quanta chorus inſtitui, chordarum concentus conſentire, et numeri muſici conſonare ſolent. Iſtam igitur ſeptem planetarum harmoniam, a ſole directam, repraeſentabant ſymbolo lyrae ſeptichordis, ab Apolline pulſatae:

Χρυσολυρη, κοσμῶ τον εναρμονιον δρομον ἑλκων
Κοσμοκρατορ, συρικτα, πυριδρομε, κυκλοελικτε.

Orph. Hymn. 7 & 9. 11.

Subtilius adhuc continuatur haec metaphora in viciſſitudine trium

trium tempeſtatum adumbranda, hiemis, aeſtatis et veris: vti Chorda lyrae ſolaris, quae *grauiſſimum* tonum reddit, cum *hieme*, tarda nimirum ipſa quoque; Nete acutiſſima cum aeſtate comparetur; *Dorius* autem modus, in quo temperationem et moderationem omnes agnoſcunt, cum *vere*, h. e. tempore inter aeſtatem et hiemem interiecto:

ου δε πανταπολον κιθαρη πολυκρεκτω.
Ἁρμοζεις, ὁτεμεν νεατης επι τερματα βαινον,
Αλλοτε δ'αὖθ, ὑπατην, ποτε δωριον εις διακοσμον.

Orph. Hymn. 33. v. 16. et Not. Geſn.

Pan eidem metaphorae *ſyringa* ſuam ſeptem partibus compoſitam debet. Quinimmo Aſtronomiae et muſicae comparatio ab antiquiſſimis poetis ad Philoſophos deriuata eſt, quorum Plato nominat illas *αδελφας αλληλων επιςημας.* Sufficiat! hoc tantum adiicimus, quod pro linguae cuiusque habitu, ſicut opinionum, ſic et fictionum habitus determinetur.

§. 11.

Iam exiis, quae modo diximus ſponte elucet, rudem intellectum, ſimulac rebus inanimatis, animas, mentem affectus affingit, ſimul et pronum eo delabi, vt et forma humana et tota hominis figura et ſexu fictiones ſuas induat *ανθρωποφυεις.* Nam, cum indiuidua tantum ſenſatio percipere, et imaginatio reproducere poſſit; et hanc ob cauſſam res in omni nexu ſuo relatiuo conſtitutas vtraque apprehendat; nec haec, nec illa ideam partialem ſine connexarum totali ſibi repraeſentare poſſunt. Quum igitur in obiecto qualicunque iam mens et affectus vel vlla humani indiuidui pars ſupponitur: offerunt ſe ſimul reliquae perſonae humanae partes imaginationi, in eodem nexu, quo ſenſibus olim perceptae ſunt. Quod quidem accidit nobis, quoties, imaginatione ſenſum ſuperante, intenti, maculam parieti adſperſam temere, vel venas in marmore et trunco polito fortuitas adſtupemus: tum vna vel altera tantum animalis vel hominis



ſimilitudine arrepta, plenam abſoluimus et viuidam imaginem, omnibus ſibi partibus conſtantem. Itaque, licet multa ſaecula effluxerint, poſtquam hominis cultus cultui poteſtatum naturalium mixtus inualuit; et multo ſerius adhuc humanae formae auctoritatem acceperint diuinam: attamen hunc niſum, naturales poteſtates et Deos humanis attributis et forma et ſexu ornandi, regnaſſe vel in primaeua patriarchalis religionis aetate, ex modo dictis perſuadeor. Gallorum enim Druidae et Magi Perſarum, quorum in vtraque religione et philoſophia ſummam fuiſſe ſimilitudinem deprehendimus, omnem quidem a Diis humanae formae et originis et ſexus faciem remouebant: ſicut Numa, qui praeter naturales et quosdam allegoricos, omnes animales Deos aeque ac theologiam poeticam a republica ſua arcere voluit; nec minus Orpheus, et alii populorum cultores, qui dogmatum allegoricorum et rituum ope ſacra inſtituere naturalia. At, quantum hi omnes profecerint in plebeiis animis, ex gente Iudaeorum colligere licet, quam, Deo ipſo legislatore et Rege, fruſtra Moſes ab idololatria integram ſeruare ſtuduit. Et, quantum dedit Iehoua populi ſui infantiae; vt, licet Vnicum et O. M. ſe Iudaeis monſtraret, tamen et ανθρωποφυῆ: dum tantum cauit, vt ſymbolice non in ſimulacro, intellectui, non ſenſibus repraeſentaretur. Nam plebi, ſenſibus faſcinatae, Dii ſunt ανθρωποφυεῖς, aut allegorici, aut plane nulli.

§. 12.

Vt tandem primum, quod attuli, principium abſoluam, per ſcenas quasdam adhuc decurrere libet, quarum vicibus pro mutata temporum, morum et reipublicae facie, et fictiones progredi et mutari ſoleant.

Primum, homo rudis, cui omnia ſunt noua, infinita, diuina, ſi plures in rerum natura animaduerterit effectus, qui ſibi maxime contrarii, et nullo modo cohaerere videntur, ſtatim ad opinionem de *pluralitate Deorum* rapiatur neceſſe eſt. Nam, quamdiu penetrare nondum licuit illi, in tot rerum diuerſarum coniugia, et in cauſſam tot contrariis effectibus communem: tamdiu ſingulas ſingulis affectibus tribuet poteſtates et Daemonas.

Secundo,

Secundo, quamdiu communi adhuc cum feris ſylueſtribus hoſpitio vtitur homo, omni melioris naturae beneficio deſtitutus, Deos omnes ſibi fingit *infeſtos*. Nam, quoniam inops et miſer, quem timor ſemper arguit et penuria, omne nouum horret, ſtupet, metuit: neceſſe eſt, vt proxima quaeque naturae phaenomena a maleuolis ſuſpicetur daemonibus excitata. Quantam vero ad turpem Δεισιδαιμονιαν metus animos vel minus barbaros cogere poſſit, in Carthaginienſibus apparet, qui peſte vexati olim humanis victimis numina infenſa placari cenſebant. Eandem ſibi infamiam Phoenices et Cananitae illorumque ſucceſſores Iudaei contraxerant; et Romani quodam tempore. Sic omnes fere religiones et chriſtianam interdum ipſam metus ad crudelitatem impulit et ſanguinem.

Tum homines, cum ſtatui ferino erepti, horridum vitae genus artium et ingenii ſollertia lenirent ex parte, et maiorem, licet non abſolutam morum humanitatem induerent: Diis quoque animum minus aſperum et tyrannidem minus crudelem tribuebant, bonitate tamen naturae crudelitati admixta. Talis eſt heroicae aetatis color. Quare et poetarum Dii, his temporibus nati, illius aetatis hominibus ex omni parte ſunt homogenei.

Deinde vero, cum, progrediente tempore, morum diſciplina et ſapientiae cultus viros proferret, qui ab affectuum violentia et ira et libidine temperati, ac modeſtia benignitateque paene diuini, ciues ſuos ad admirationem et amorem raperent: haec melior animi indoles ad Deos ſimul tranſibat, qui ab omni parte boni, nullis vitiis admiſtis, fingi coeperunt. At ſimul, ne iſtos tot malorum in rerum natura participes facerent: daemones alios, indole plane contrarios finxerunt, malitia immanes, in quos omnium malorum crimina voluerent.

Porro, poſtquam gratus in illos benigniores Deos animus et amor regnare coeperat: ad vnum tandem ſupremum ſummae bonitatis numen aſcendebant, ſubordinatis tamen pluribus malis et benignis daemonibus. Nam, ſicut timor proximam quamque et leuiſſimam cauſſam arripit, quam accuſet, placet, vitet: ſic

contra

contra gratitudo animi non prius acquieſcit, quam per omnes intermedios ad primum et verum benefactorem adſcenderit.

Poſtremo, cum homines iam in phyſicam rerum naturam magis magisque penetrarent, cauſſas e cauſſis continuas deducentes, et vel maxime terribilia naturae phaenomena ſub legum vniuerſalium neceſſitate comprehenſa viderent; cum ſimul melior morum humanitas ſuſpicionem daemoniacae malignitatis magis magisque minuiſſet: tum daemones mali omnes in vnum coaluerunt, relictis tamen pluribus Geniis benignis: vt Perſarum *Arimanes*.

Has autem idololatriae viciſſitudines eodem, quem modo delineaui ordine, ſibi ſemper ſuccedere, neutiqam affirmare conor. Nam plures eſſe poſſunt cauſſae fortuitae, quibus iſta gens maturior ab altera in alteram ſcenam tranſeat; illa lentior: iſta tranſiliat hunc vel illum gradum; illa in deteriorem e meliore recidat: e. g. bella, peregrinorum aduentus; ſubitae rerum publicarum viciſſitudines.

§. 13.

Quae iam de ſenſuum auctoritate et vi magna intellectum humanum faſcinante ad ſatietatem vsque diſſerui, non de plebe ſolum, ſed plurimam partem et de ſapientioribus primaeuis dicta velim. Hi enim, licet maiorem rerum et cognitionis orbem nacti, in combinando et abſtrahendo magis verſati fuerint: abſtractiones tamen et combinationes ſuas nondum a tumultuaria ſenſuum diſciplina integras reddere poterant; nec in meditando, nec eloquendo. Ita factum eſt, vt philoſophematum ſuorum ope, quibus ſymbolice inſtitutis, feritati et ignorantiae ciuium mederi ſtudebant, et male docentes et male intellecti nouam introduxerint fictionum turbam, quae abſurditate priores omnes ſuperarunt. Videlicet Cosmogonias et Theogonias! Vt haec fere mythologiae *graecae* norma hermeneutica conſtitui poſſit: quo magis inſipidae videantur fabulae, eo ſapientiorem habere originem.

Vir Praenobilis: Amplis: Excellentiss: Doctissime
Phil. Doct: Poeseos Professor Publice Ordinarie meritissime ~~Doctissime~~
Disert: Iuris Praeses Gravissime
Fautor aestumatissime
Tuque Respondens ~~clare docte~~ nobilissime, clare docte ~~politissime~~ Amice dilectissime
Disputantes ambo honoratissimi

Mira ~~et~~ prorsus incredibilis est mentis humanae in vana ludibria et fictas rerum species proclivitas usque adeo vt non solum facile se etiam lubenter falli se patiatur. Atque tritum illud proverbium: Mundus vult decipi, cui accinunt fraudum artifices ergo decipiatur. Ab hoc autem artificio, quod auri sacra fames docuit circulatores, demagogos et haud raro etiam hierophantas, questus nempe causa ~~impo~~ incautae multitudini imponendi poetarum ingenium maxime es se alienum libenter fateor, quippe quorum corda auri cupido vix inesse fertur et ~~secundo esse~~ de quibus Horatius: Vatis avarus non temere est animus, versus amat hoc studet unum.

Datur autem quoddam fallendi genus, quanquam non questuosum tamen non inglorium, quod demulcet aures ~~nor~~ fictis rerum speciebus ~~animum~~ ~~dem~~ movet et exhilarat cui Poetae operam suam addixerunt.

Cum haec dissertatio in artificiis fallendorum sensuum, quatenus poëtis inserviunt, tota versetur non incongruum fore puto quaedam quae hoc iucundum et ~~haud~~ doli expers fallendi genus attinent in antecessum monuisse.

Sunt autem quaedam rerum species quibus mens ludit non ab ipsis ludificatur; Per quas artifex non incautis propinat errorem sed veritatem veste apparentiae indutam quae interiorem ipsius habitum non obfuscat sed decoratam oculis subiicit, quae non fuco et praestigiis fraustratur imperitos et credulos sed sensuum luminibus adhibitis ieiunam et exsuccam veritatis speciem coloribus sensuum perfusam in scenam producit.
Si quid est in tali rerum specie quo fallere ~~dici potest~~ vulgo dicitur ~~non fal~~ illusio potius nominanda erit. Species quae fallit perspecta ipsius vanitate et ludibrio evanescit sed illudens ~~nihilo~~ cum non sit nisi veritas phaenomenon perspecta re ipsa nihilo minus durat et simul animum in erroris ac veritatis confinii quasi fluctuantem suaviter movet ~~et~~ sagacitatis suae contra apparentiae seductiones conscium mire demulcet. Species quae fallit displicet quae illudit placet admodum et delectat. Sic qui e cunis ludere dicitur praestigiator quoniam me fraude circumvenire tentat, allicit primum quasi perspicaciae ~~suae~~ meae contra ipsius versutiam periculum facturum, ~~mox~~ detectam vero fraudem contemno repetitam ~~fastidio~~ ~~miratus~~ celatam autem adhuc incredulus odi miratus quidem sed simul indignatus ~~sagi~~ me impostoris astutia victum esse

DISSERTATIO PHILOLOGICO-POETICA DE PRINCIPIIS FICTIONVM GENERALIORIBVS.

PARTICVLA II.

QVAM

PRO LOCO

PROFESSIONIS POESEOS ORDINARIO
SECVNDVM STATVTA ACADEMICA
RITE SIBI VINDICANDO,
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

M. IOANNES GOTTLIEB KREVTZFELD,
PROFESS. POES. ORDIN.

RESPONDENTE
CHRISTIANO IACOBO KRAVS, *Osterod. Bor.*

OPPONENTIBVS
CAROLO WILHELMO BVCK, *Regiom. Bor. I. V. C.*
SAMVELE CHRISTOPHOR. DITTMANN, *Thorunensi S. Th. C.*
CAROLO FERDINANDO NICOLAI, *Eichmed. ad Rastenburg. Pruss. S. S. Th. et Ph. C.*

Bibliotheca universitatis Jurievensis

H. L. Q. S. D. 28. FEBR. MDCCLXXVII.

REGIOMONTI,
TYPIS SACR. REG. MAIEST. ET VNIV. TYPOGR. G. L. HARTVNGII.

Contra ea in illusionibus opticis quanquam apparentiam prorsus perspiciens et contra errorem praemunitus tamen identidem delector. ~~In tali artificio speciei propterea praecise quoniam non fallit at~~ sed ad errorem allicit delectat. ~~Species~~ Rerum ~~itaque~~ apparentiae ~~non~~ quatenus fallunt ~~sed quatenus~~ tedio quatenus nobis tantum illudunt voluptate afficiunt. Et hoc fere discrimen fallacias sensuum vulgares et illusiones poetis familiares intercedit.

Nihilo tamen secius Dissertatio quam manibus volvo omnes artis poeticae veneres et lautitias ex illo fonte impuro haurire gestit: mentisque in vana ludibria propensam adeo indolem effingit ut quo magis vanitate imaginum luditur eo maiori gaudio pectus ~~ipsius~~ pertentari crederes. At si vel maxime cum celebrato poetarum artificio res ita se haberet tale arcanum mihi quidem ab Apollinis alumno premi debuisse videtur ne prodendo in vulgus arti suae ipse detraheret et admiratores poëseos tutus dulcedine antea captos detecta fraude indignatos abigeret.

Certe datur adhuc ~~certa~~ quaedam sensus fallendi ratio qua ars poetica ~~inter ceteris~~ quam plurimis aliis palmam praeripere videtur et propterea vela Philosopho ~~merito summis~~ laudibus extollenda est quippe promovens mentis in ignobile sensuum vulgus imperium legibusque sapientiae ~~tanto obsequio~~ quodammodo obsequium parans

AVGVSTISSIMO
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO
FRIDERICO II.
REGI PRVSSORVM,

MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI,
SVPREMO SILESIAE DVCI,
ETC. ETC. ETC.

PATRI PATRIAE CLEMENTISSIMO
REGI AC DOMINO SVO

Muneris academici recens
collati primitias
devotissima mente
dicat
IOANNES GOTTLIEB KREVTZFELD.

Tanta enim est sensuum vis indomita rationis autem, rectae illius quidem at in movendo debilis, impotentia utque vos aperta vi aggredi non licet, dolo subruere consultius sit. Hoc vero fit elegantiorum tam literarum quam artium delinimentis animum assuefaciendo et hoc pacto sensim a bruta cupidine tanquam ab agresti et furioso domino liberando. Cui consilio, quod ideo iure quodam suo piam fraudem vocare fas est, non parum inservit Ars poëtica quae propterea etiam ad artes ingenuas et liberales h. e. Animi libertatem promoventes numeratur quod sensus demulcendo hianti ipsorum expectationi illudit et lautitiis suis inescatos suaque veritate exutos praeceptis sapientiae tanto magis obsequentes reddit.

Verum nunc ~~temporis infatuat~~ ora ac Cogitatio posit ut non quid in hoc argumento ipsi statuam sed quam sententiam dissertatio vestra expediat circa naturam poëseos quatenus ex ipso sensuum humanorum gremio pullulat exponam. Hoc ~~iam~~ ad expendenda circa quae anceps haesi huius praeliminis, alterquin docti ac elegantis, momenta iam accingor ~~veniam~~ debita observantia petitas ut qua in ludicro certamine uti fas est libertatem et graeris oppugnandi licentiam aequi bonique consulatis.

1

Pro substrata autem materia quoniam syllogismorum anfractibus supersedere commode possumus argumentis libero sermone propositis insurgam. Generali ~~autem~~ examini antea commentationem vestram subiicere animus est antequam ad specialem disquisitionem progrediar.

Et primo quidem in rubro dissertationis vestrae video suspensam hederam in ~~tra~~ tractatione autem ipsa vinum vendibile reperire non possum. Specimen uri Exc: audit dissertatio philologico poëtica. Qualibet autem tractatio poëtica necesse est ut conflet versibus ~~concinnata~~ nec contentatio de Poësi ideo vocari potest poëtica quemadmodum nec historiam philosophiae vocabimus tractationem philosophicam aut encomium Matheseos commentationem Mathematicam. Praedicatum enim ab arte vel scientia sumtum non obiectum notat sed modum quo illud exponimus. Dissertatio philologi: Poëtica foret quae, pariter ac celebratum illud Horatii carmen de arte poëtica, versibus concinnatum, simul autem uberioribus notis philologicis illustratum foret

Sed ~~pergo~~ progredior ad animadversionem generalem secundam. Auctorem nempe dissertationis excelli: falcem in alienam messem immisisse atque ~~quod~~ eorum nempe cum per hoc specimen poeta in scenam prodire deberet repente agit Philosophum. Poterat enim ~~hoc specimen~~ eadem dissertationi ~~pro~~ loco Metaphysices ordinario ritecapescendo adhuc aptius inserere mutato tantum titulo ita ut nominaretur dissertatio de fallaciis sensuum earumque in artes et vulgarem hominum cognitionem influxu. ~~Ait~~ Scite quidem ac argute Auctor a pag. 3 usque ad 8 de sensuum fallacias generatim indeque ~~ortis variis~~ scaturientia vana mentis ludibria Auguria Magiam Astrologiam Polythaeismum Hypothesium philosophicarum farraginem et multa alia uno spiritu recitat. Recitibus omnibus tamen cum Horatio interstrepere fas est: Sed nunc non erat his locus

vid. pag. 5. Auctor dissertationis ~~falcem in alienam messem immisisse argno quod cum hoc specimine poeta in scenam prodire deberet repente et inopinato agat Philosophum~~ utraque opera sul parte animum humanum originarie a sensibus eruendum et ex hac institutione simul prima artis poeticae stamina haurientem describit et quidem parte prima sensibus magistris parte autem hac secunda iisdem ceu impostonibus utraque autem egregie et eleganter contendit. Quomodo autem ~~in hac~~ sibi constat? Nam si a sensibus fallimur ab iisdem non erudimur. Si fallaciis adulteratur cognitio humana poeta qui earum meraturam instituit quidem, nisi fallarius

vid. pag. 2.

et etiam postea numeros Pythagoricos Kabalam ~~Mod~~ logicorum Barbare Celarent addit

SECTIO II.

§. 1.

Iam sensuum disciplinam, quibus cognitio humana omnis primis tanquam ducibus et magistris vtitur, primum fictionum fontem statuimus: nunc ad sensuum fallacias, alterum quidem phantasmatum principium progredimur. Nec in hac Dissert. continuatione me aberrasse credo a semita, quam mihi ipse prius in Part. I. §. 5. ita praescripsi, vt non tam artis poeticae partem, quae in struendis et collocandis fictionibus versatur, persequerer; nec in caussas fabularum impulsiuas et occasionales inquirerem, quam stamina

omnium

Fac auctorem dis: Ipse sua gratenus agit philosophum plane excidisse hoc tamen honori huic ut poetae nihil detraheret + hinc vides te hic non specimen pro loco professionis poeticae examini exponere

2

omnium phantasmatum prima et communia, et ipsum humanae mentis in fingendo actum excuterem.

+ hoc probaret se malum quidem esse psychologum ac excellentissimum poetam

Sensuum fallaciis omnes poetae, nonnunquam errore, saepius consilio indulgentes splendidissimas imagines depromunt, et plurimum dictionis ornatum. Primum oculorum fallaciis quantam et speciem et fidem addunt poetae! Noti sunt, vt ex vna discas omnes, scopuli Cyanei, claudentes se ex aduerso et aperientes vsque, mobiles, dum Argonautarum nauigatio stabiliuit eos et fixit. Qui, re quidem vera, quum prima Graecorum nauigatio, nimis timida, scopulosum Euxini littus e longinquo tantum praeteruolaret, mouente naui ipsi moueri, mox claudi, mox aperiri videbantur; donec oculorum fallaciam, longinquo aspectu deceptorum tolleret accessus Argonautarum propior. Et inde, quam nobilem duxit imaginem Pindarus, Pyth. Δ. v. 369-375. Edit. Oxon. p. 237.

Δεσποταν λισσοντο ναῶν,
Συνδρομων κινηθμον αμαιμακετον
Εκφυγειν πετρᾶν. Διδυμοι γαρ εσαν
Ζωαι, κυλινδεσκοντοτε κραιπνοτεραι
Η βαρυγδουπων ανεμων ριχες. αλ —
λ' ηδη τελευταν κεῖνος αυτᾶις
Ημιθεων πλοος α —
γαγεν.

Eodem modo tot phaenomena maris et coeli et terrae, aeque ac siderum constellationes secundum visus fallaciam a poetis exornatae sunt. Et eiusmodi erroribus non magis visus, quam auditus debetur; nec minus tactus crassior in caeteris sensus, si certum est, quod multi obseruatum praedicant in vulneratis, qui amputatum membrum multo post dolere sentiant.

§. 2.

Exempla poëtica, quae tamen rara nant in gurgite vasto, etiam philosophus scopo suo accommodare poterat qui ceterorum quid ad eleganter fingenda carmina requiritur una cum ignarissimis ignoraret.

Deo per hanc tectam metaphysin eis allo genos quotiem dissertationis speciosio titulo specimen aliquod artificii fallendorum sensuum ipso facto dare voluisse auguror!

pag. 1. ~~Sed hic non diu vorarabor~~ adhuc vos ἐυπρόσωδο moneo vocem: Sensuum disciplinae admodum detorto significatu in prima dissertationis linea sumi. Nam apud veteres sensus nunquam ~~disciplinam~~ exercent sed patiuntur disciplinam quatenus subiugantur eousque donec imperio mentis parent ad eum finem celebrata olim exercitia telestica pertinebant.

Poteras ~~dicere~~ vocare sensuum institutrem a qua prima cognitionis elementa haurimus. Sed haec mitto —

pag. 5.

Progredior ad tertium argumentum meum generale.
Postquam Auctor Dissert: doct: Sensuum fallacias tanquam potiorem artis poeticae penum constituerat cum Poeta identidem Philosophum comparat ita ~~quidem~~ quidem ut utriusque ~~horum~~ sortem in lubrico hoc genere simillimam praedicet re ipsa autem plane oppositam exemplis comprobet. Quemadmodum enim Poeta sensuum vana specie egregie fallit ~~ita~~ Philosophus ab eadem turpiter fallitur. Unde poëta deportat laureolam inde Philosophus plerumque infamiam et quod uni cedit laudi id alteri opprobrio. Qua comparatione Auctor duo peccata peccavit primo quod aequiparando ea quae ex suo ipsius testimonio sunt opposita sibimet ipsi contradicat deinde quod evellendo Poetas (p. 2.) et traducendo Philosophos (p. 8 et 10) in alteram partem iniurius fuerit. Quod ~~enim~~ primum attinet Philosophus certe quatenus non est Philosophus sensibus ~~utique~~ fallitur ~~quod~~ Poeta autem quatenus est Poeta sensuum ludibriis fallit. Quaenam autem sortis adeo diversae ~~hic~~ est similitudo hic non reperitur similium sed oppositorum ratio. Quod attinet altenum nempe iniuriam Philosopho illatam hoc tanto ~~magis~~ acrius reprehendendum esse videtur quo magis in hac ~~ipsa~~ dissertatione auctor ipse Philosophorum rivulos in arva sua derivant.

§ 2.

At bene norunt, psychologiae gnari, fallacias istas non tam sensuum vitio, quam iudicii praeposteri nimis et praecipitantis produci. Quod quidem sensationes vel praesentes, vel imaginatione repetitas ita miscet, vt inde fictiones maxime distortae, licet non raro ratiocinii faciem gerentes, nascantur infinitae. Nam cum tale mentis humanae ingenium sit, vt nulla vis cognoscitiuae facultatis omnino quiescat, licet haec maiori, illa minori efficacia agens: et sensationibus implicitum semper est iudicium. Nec vero minus ingenium rude, quam excultum, rerum nexu delectatur, et abstrahendo agitatur, et discernendo et combinando. Sed illud (rude) externis tantum relationibus intentum, abstrahit, discernit, associat apparentia; hoc generalioribus et vniuersalibus iam adsuetum, in interiores magis differentias et similitudines penetrat.

Deducere libet igitur duas vel tres potissimas concludendi rationes et regulas, quibus intellectus rudis corruptus, sensus simul corrumpit, et a veritate integra ad tot immanissimas fictiones solet deflecti.

A) Interne diuersa, ob externas quasdam similitudines vel eadem sunt, vel in se inuicem influunt.

§. 3.

Huic praemissae innumeras sensitiuae cognitionis fallacias superstructas cognouimus satis superque ex communi vita et primaeuae philosophiae mythis, et superstitionis, idololatriae ac litterarum historia. Nam quantam auctoritatem sympatheticae artes, omina, auguria, Magia, Astrologia habuerunt olim et partim habent; quibus, cum timor et stupor tot occultarum virium stimulum dederit, istae similitudines rerum, pro nexu caussali sumtae, fidem dederunt et speciem. Nam inter omnes mirabilium effectuum caussas similitudo rerum maxime natiua et philosophica videri debet stupori et ignorantiae. Tales philoso-

 phos

phos agere ſibi videntur *Caraibi*, Americae populus, qui carne ſuilla abſtinent, ne oculos graminoſos acquirant; a turturibus, ne illorum inertia et ſtupore inficiantur: ſicut *braſiliani* anatum cibo abhorrent et reliquarum aquatilium, ne lento illorum greſſu turpentur. Et cur Pythagoraei fabis abſtinuerint, non eſt, quod dicam. Omnes incantationes in veneficiis adhibitae, omnes veterum myſticorum initiationes ad hanc regulam reducendas puto. Quam enim effuſus eſt Orphei liber de lapidibus in hoc genere ſympathiarum, ſ. ſimilitudinum cauſſalium. e. g. in *Cryſtallo*, quem puritatis, candoris et caſtitatis inſtrumentum facit; *in Achate*, quem propter venas hortum et ſyluam ſimulantes, aratro benignum laudat. Et caetera libri Orphici, quae omnia non ob praecipuum ſolum poeſeos ornatum lectu iucunda, ſed ob antiqua Phyſices infantis experimenta lectu pretioſa laudauerim. Ad eandem regulam redeunt omnes illae ludicrae artes et imprecationes, quibus Pharmacevtria, miſero amore perdita, in VIII. Virgil. Ecloga, amatorem ſuum ad neglectum amorem prouocare ſtudet; ad eandem forſan quoque veneficium illud Graecis decantatiſſimum, quod *Iynge* perfici ſolebat. En verſum Theocriti intercalarem in Idyllio II.

ιυγξ, ἑλκε τυ τῆνον εμον ποτι δωμα τον ανδρα.

Et Pindari Pyth. Δ. v. 380. Tales typi magici, licet ab inuentore primo ad ſymbola tantum actus et ceremonias adhibiti fuerint, et pro cauſſis tantum conditionalibus effectuum valerent: mox tamen cauſſae reales exiſtimatae ſunt. Plura de hac re infra.

§. 4.

Eodem vero principio non magia tantum illa ludicra et vulgaris, ſed et omnis idololatria magica enata eſt, quae a ſacerdotibus exercita, apud omnes barbarorum religiones inualuit; et poſtquam a plurimis ingeniis ſatis diu exculta fuit, tanquam ſcientia, non multo ante noſtram aetatem diminuta, in honore eſſe deſiit. Magiam primum e medicina natam, iam Pliuius aſſerit: Hiſtoriar. Natural. l. XXX. c. I. p. 293. Lugdun. Bat. 1669.

Nam

transity ad partem Iperialy

Quartum argumentum generale contra Sententiam Auctoris
ſe omnes diſſertationis paginas fuſam et in gra cardo eius
vertitur discutum eſt. Nempe Poetam ſenſuum fallaciis
ceu pretioſibus carminum cuminibus uti. Cui ſententiae
aperta fronte adverſatur tam recta ratio quam inculentorum
exemplorum turba. Quod primum attinet ſenſuum
fallaciae, quibus uti poetae haereſi e communibus et valgo
obviis depromendae forent legem fronte Horatii: Publica
materies priuati iuris erit. Communes autem ſenſuum falla-
ciae nihil habent oblectamenti, quippe iam per corpe-
tudinem illico ſe expedientes intellectu, cum iam dudum
fallacia euanuerit, poeta per rerum apparentias quatenus
continent fallacias mentem demulcere non poteſt.
Quod alterum nempe poetas attinet quorum exempla allegata meaquidem ſen-
tentia probant contrarium ſea ~~iam~~ citaſſe ſufficit quae autor
ipſe e.g. pag. 12 protulit. — — ex quibus patet poetas
in eo totos eſſe utquodcunque ſibi cauendum ſumperint
quanta maxima fieri poteſt ſenſuum luce perſuadant
~~tam~~ Quem in finem non fallacias ſenſuum data opera
aucupant ſed quia ~~in perfecta~~ rei apparentia quae
naturam perfecta ſimilitudine exhibere deberet illis
~~deſere~~ carere non ~~poſſunt~~ poteſt. Quod in exemplo Virgiliano
a te adducto patefit ubi ~~Clypei~~ aut operis Vulcanei admi-
rationem adigeat ~~in Poeta~~ Poeta quo nominum undique arceſſitis ~~et~~
~~quodammodo tantum affectibus~~ ſenſ~~ibus~~ uum ſimulis que commoueret multa
nominat quae fabricam Clypei ingredi plane non pote-
rant e.g — Ex quibus vides poetam hoc ſolum quaerere ut
ideam ſuam primariam maximo adhaerentium imaginum
comitatu circumfundat in quibus ~~ſe~~ apparentiae fallaces
~~adeo~~ aliter tantum reperiuntur quoniam illis in depingenda
ad rerum imagine Poeta carere non poteſt

Transeo ad alterum argumentorum genus quaedam in dissertatione vestra sigillatim perstringam et vestra cum venia virgula censoria notanda ducam. Paragraphus 1.ma ita incipit pag. 1.

§ 3tia Multa Auctor Ex: fallaciis sensuum annumerat quae ~~plane~~ mihi ~~eo~~ plane ~~non sunt~~ referenda Magiam Augusta Astrol: cc. Sensuum fallaciis ea tantum accensenda sunt quae oculis haurire vel sensu quomodoque prehendere mihi videor quanquam re ipsa sint iudicii praecipitis lapsus. Quae autem me non sentire probe novi sed circa sensa tantum coniectando aut quoquo modo ratiocinando statuere mihi conscius sum haec, utut sint erronea, tamen fallaciae sensuum vocari non possunt. Sic in avium volatu aut Astrorum positu superstitio nunquam putavit se fatidicos Characteres aspicere et legere sed homo, iam a natura ad consortium cum entibus intelligentibus factus, at metu aut cupidine agitatus, pronus est ad errorem de invisibilium potestatum sortem suam moderantium influxu, quem vocamus superstitionem et ~~de ipso~~ ponte suspicatus est, multa ipsi vel a Genio vel Daemone ~~signis~~ symbolis velata aperiri dumodo illa intelligere possit et ~~sata~~ institutis ~~etiam~~ ~~aliquo~~ ~~cum illis commercium inde~~ ~~Magia orta est~~ tam Astrologia quam Magia ortae sunt +

Nam primi, qui herbarum vires, huic vel illo morbo salutares fortuito deprehendebant, scientiam suam celantes, miraculosa quadam facultate pollere crediti sunt: quia vel vulgares et naturales effectus, ex naturae ignorantia, supernaturalibus et miraculosis plane similes erant. Hanc medici publice datam fidem, quae artem suam altiorem et diuiniorem, seque ipsos sanctiores et ditiores reddebat, non amittere volentes, ad alias quoque operationes cogere naturam affectabant, decipientes primum, tunc ipsi decepti. Quare diffidentes ingenuae et apertae vanarum artium praxi, carmine, gestu, signis, typis et ceremoniis, nihil ad effectum facientibus texerunt dolos. Quorum ope professi sunt:

soluere mentes
Quas velint; ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluuiis, et vertere sidera retro,
Nocturnosque cient manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.

— nominantur vulgo entia rationis ratiocinantis

Quemadmodum igitur magia medicinae, sic Astrologia fuit Astronomiae abortus et spurius, eodem principio natus, qui suffocauit in partu matrem. Pestis, quae terram ab oriente egressa, omnes mundi plagas, et a prima hominum memoria ad nostram fere aetatem occupauit. *Primum* obseruabant corporum caelestium singularem vim et efficaciam in haec sublunaria, ex praescripta quidem legum naturalium necessitate, sed vulgo incognita. Sol enim et luna et tota coeli facies, sationem et messem et caetera hominum opera, et tempestatum vicissitudines et tempora, et, quod ad affectiones mutationesque corporis et physicum animi statum attinet, hominem ipsum dirigunt, diriguntur a nullo. Quid est, quare non etiam in actiones et vitas et fata influerent?

+ Quod autem sensus attinet hi tantum abest ut illum hisce erroribus immergant ut potius tanquam fidi ductores inde continuo retrahant et certe experientia subactum abiis plane liberet. Ergo Spho nota pag 9na —

Quare *secundo* primi, qui motum corporum caelestium obseruabant, cum multa praedicerent, quae vulgus non ex naturae ordine praeuisa, sed supernaturali instinctu, credebat: penes istum sibi auctoritatem pepererunt tantam, vt de omnibus vitae humanae vicissitudinibus existimarentur posse diuinare. Hi vero de ista auctoritate sibi sponte concessa, maiorem, quam de infanti astronomia fructum et laudem sperantes, diuinationis illimitatae fidem studuerunt confirmare; et vera Astronomia neglecta, cuius incrementa nimis tarda procedebant, toti in hunc spurium Astronomiae foetum incubuere. Ex quo tempore, quum sidera et corpora caelestia non ex ordine et necessitate naturae praestabilita, sed ex absoluta spontaneitate tempori, annis, diebus, mensibus praeesse credita sunt: sua cuique diei et mensi aetherea potestas tributa est. Quod ab Aegyptiis excogitatum testatur Herodotus, Histor. l. 2. c. 82. μειςτε και ἡμεςα ἑκαςη θεῶν ὁτευ εςι. και τη ἑκαςος ἡμερη γεννομενος ὁτεοισι εγκυρησει, και ὁκως τελευτησει, και ὁκοιος τις εςαι. Et ab antiquis Persis Daemones singulis mensium diebus praefectos fuisse Zoroaster docet in Zendauestae libro Si-rouzée vbi suae cuique Deorum liturgiae dedicatae sunt!

Quaedam adhuc de auguriis et ominibus, quae non leuis pars erant omnium populorum idololatriae. Eodem errore, qui Magiam et Astrologiam peperit, et auctoritatem credimus natam, quae auibus in auguriis concessa est. Praetereo stoicorum opinionem, qui non hominibus tantum, sed et animalibus aliquid animae mundanae, quae per totum mundi corpus diffusa regit omnia et alit, impertitum asserunt. Iamdiu enim ante, quam haec opinio inter philosophos inualuerit, aues in auctoritate vaticinandi constitutae erant. Et iure quidem non indigno, si instinctus auium naturales respicimus, quorum ope temporis et tempestatum prouidae et fidae nuntiae inueniuntur. At, ignarae mentes, dum instinctum quaedam praesentiendi physicum non discernebant a facultate vaticinandi omnia, hanc eandem illis concesserunt. Huc accedit, quod, quo propiores coelo sunt

ob

ob volatum aerium, eo facilius Deorum nuncii et conſcii rerum caeleſtium ſunt habiti.

§. 6.

Et mythologiam, proprie ſic dictam, ex eodem errore ſimilitudinum partialium, multum augmenti petiiſſe, breuibus adhuc notare liceat. Omnes barbarorum Deos Graeci ad patrios reducere ſolebant; et haud difficulter. Quodſi enim apud hunc vel illum populum vidiſſent Deum, Ioui vel Herculi, aut nomine aut figura aut rebus geſtis quodammodo ſimilem: ſtatim crediderunt non alium, ac Iouem aut Herculem graecum, graecis proprium, barbaris aſcititium. Vnde tot heroum in tam diuerſis regionibus tam diuerſa facta Graeci in vnum Thebanum Herculem et Iouem Dictaeum coegerunt. Pari modo et Romani, ſimilitudine nominum decepti, in Gallorum Diis patrios ſuos deprehendi praedicarunt: vt in *Heſo* Martem, in *Teutate* Mercurium, in *Tarane* Iouem.

§. 7.

Haec ſimilitudinis partialis cum totali confuſio vulgarior eſt et frequentior ideo, quod iudicio, viuida phantaſia ducto, ſemper facilius eſt et iucundius, ſimilitudines diuerſorum, quam diuerſitates ſimilium inuenire. Quo fit, vt illi, qui hypotheſi quadam iacta, ſyſtemata exſtruxerunt, plerumque in hunc eundem errorem incidant. Nam, ſicut demonſtrationes, argumenta, axiomata, imaginatione ſedatiore, ceſſante ingenii celeritate, ex puri tantum intellectus conatu, lente et pure proueniunt: ſic hypotheſes plerumque ſubito et quaſi infuſo idearum confluxu, phantaſiae et ingenii ope naſcuntur. Vnde quoque vel in explanata hypotheſi, et per omnes partes deducta, ſemper enthuſiaſmi quidem color apparet; ac in ſtylo et diſpoſitione quaedam vehementia et nitor, puro philoſopho ἀπαθεῖ non conceſſus. Sicut iſtis accidit, qui omnes fabulas gentilium ex iudaiſmo male intellecto deduxerunt, *Bochartum* puto; in *Rudbeckio*, qui omnium

gentium

gentium et linguarum originem e ſeptentrionalibus et inprimis ſuecis deriuauit; in *Goropio Becano*, qui omnes linguas ex belgica ortas affirmat; in *Pluchio*, qui omnem Graecorum Mythologiam ex Egyptiorum columnis deducit. Denique, quem omnium primum nominare debuiſſem, *Herderus*, pari acuminis et phantaſiae, quam eruditionis vbertate vir eximius, qui paulo ante biennium omnes religionum antiquarum reliquias ex reuelatione poſitiua, Adamo data, ſed a diuerſis gentibus detorta, deriuandas ſuſcepit; in quo, quid ſeducere poſſint ſimilitudines rerum arreptae, differentiis illarum neglectis, viſu mirum eſt. At fere nefas, in opere tanti ingenii, nondum ad finem perducto, naſutulum agere iudicem.

§. 8.

Et metaphyſicus ipſe ſaepius hoc fallaciarum genere irretitur. Exemplum, quod ſpeculatio contemplatiua et poetica fictio, quae extremitates humani intellectus vulgo creduntur, ex oppoſitis punctis egreſſae, ſaepius in ſe inuicem incidunt. Pro omnibus vnus ſit teſtis *Iordanus Brunus*, qui valde nimius eſt in *principio coincidentiae oppoſitorum*; ſecundum quod effectus ſibi contrariantes ex vna eademque cauſſa fluere; et oppoſitas cauſſas eundem effectum producere affirmat. Eundem effectum producunt frigus et aeſtus; vrit vtrumque (brennende Kaelte). Sic quoque ignis in officina vitrorum mollit et durat vitrum; ſic in venenis ſalus; in medicina et ſanitate ipſa morbus et mors latet. Materialiſmum qui defendunt, eadem ipſa iudicii praecipitantia falluntur. Nam cum perſpicuam in animae et corporis operationibus conuenientiam deprehenderent, et id, quod animam dicimus, easdem cum corpore mutationes pati: animam materialem et mortalem, a corpore nihil diuerſam, ſtatuerunt. Tali modo concludit Lucretius. l. III. v. 446:

Praeterea gigni pariter cum corpore et vna
Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem, etc.

Et qui *Lucretium* imitatus eſt regius Auctor *des Poeſies diverſes*: Lettr. XVIII.

§. 9.

Hic Auctor Exc: Multiplicationem entium praeter necessitatem et phaenomenis quodamodo diversis causas totidem genere diversas ~~et originarias~~ assignandi praecipitantiam hinc multitudinem potestatum (divinarum) in Theogonia ac Cosmogonia graecorum item fallaciis sensuum ~~imputat~~ accenset. Sed originariae haec ~~commenta~~ non fuisse vulgares errores sensuum illusionibus ortos (sed industria Poetis conficta) etiam Aristoteles testis est qui in Metaphysicis ~~ad Deos~~ postquam ~~monuerat~~ dixerat: naturam divinam inuidam esse non convenit, addit, sed poëtae ut in proverbiis est multa mentiuntur. Hi enim nihil inexpertum relinquentes quod motum mentis ciere et vnita sensationum fascinare possit ~~ubicunque~~ quae sunt phaenomenis omnibus naturae partibus vitam infuderunt et sic totidem deorum provincias dispertierunt. non aliunde seduti sed ipsi doli fabricatores.

Sed circa haec vos non morabor verum §10

§. 9.

B) *Interne eadem ob quasdam apparentes dissimilitudines diuersa sunt.* Haec iudicii praecipitantia plurimum ad numerum Deorum, et naturalium, et politicorum augendum contulit. Theogoniam Graecorum et Cosmogoniam nihil aliud esse reor, quam mundi potestates et elementa, symbolis et Allegoriis expressa. Multa vero saecula cecidere prius, quam intellectus humanus ausus sit, istam concordem Vniuersi discordiam suspicari, qua immensae mundi partes et tot discordes rerum effectus ab vna lege diriguntur ad vnum. Intellectui igitur rudi, quoniam naturae phaenomena non ab vna lege, sed a diuersis caussis profecta videbantur, singulis singulae potestates diuinae, siue Dii, assignatae sunt. En quot ex vna tantum naturae regione Deas referat Hesiodus, marinas puta:

τρις γαρ χιλιαι εισι, τανυσφυροι, πολυσπερεες.

Theog. v. 364.

Quinquaginta Nereides poetae recensent, quae totidem diuersas maris affectiones accidentales repraesentant. Natura rerum quidem semper eadem est et sibi constans; sed pro sua effectuum et potestatum et Phaenomenon varietate, imaginibus poeticis inuoluta est et descripta, nominum diuinorum compendio. Quiuis enim multiformis naturae vultus, noua parte consideratus, nouam Deorum generationem exhibet. En Theogoniam Hesiodi; quae licet congeries sit fabularum et historiae monstrosa et immanis: plurimam tamen in illa physicam, detortis traditionibus mixtam, et γενεσεις naturales metaphoricis implicitas vbique deprehendes. Et idem te docebit Orphei philosophia; in qua (Argonaut. v. 420.) μακαρων γενεσεις και κρισις nil aliud esse videtur, quam generatio elementorum et separatio. Quare, eiusdem naturae res, secundum plura adspectus momenta et situm et relationem diuersam consideratae, plures formas induunt ita, vt retro ad simplex illud compositum facile redigi possint. *Protogonus*, *Phanes*, *Ericapaeus*, *Priapus*, *Bacchus*, *sol* eadem sunt persona,

ſona, diuerſo tantum reſpectu conſiderata. Sic vnica tantum perſona latet ſub Hecate, Luna, Diana; vna, ſub Horo, Apolline, Phaebo, Hyperione; in quo vno omnes antiquorum Deos contineri monſtrare auſus eſt in *Harpocrate* ſuo Giſb. Cuperus; quo ſucceſſu, neſcio.

§. 10.

Iisdem ſenſuum dolis et philoſophos ſaepius illaqueari, vnum hoc ſufficiat exemplum. Multiplicarunt primaeui Pſychologi hominis animam, ſenſitiuam et vegetatiuam a rationali et immortali ſegregantes:

Promotheus

Sinceram patrio mentem furatus Olympo
Continuit clauſtris, indignantemque reuinxit:
Et, quum non aliter poſſent mortalia fingi,
Adiunxit geminas. Illae cum corpore lapſae
Intereunt: haec ſola manet, buſtoque ſuperſtes
Euolat etc.

Claudian. Paneg. in IV. Conſul. Honor.

Et qui aliter poterant! Nam, cum plures niſus in ſe ipſo ſibi contrarios ſentiret ſpeculator rudis, et motus quosdam animales et inuoluntarios conſilio et rationi non obedientes: duplicem ſtatim in homine rectorem, ſaepe vnanimem, ſaepius diſcordem ſtatuebant, ſenſitiuam et rationalem, ψυχην, και φρενα. Et noſtrae aetatis pſychologi quidam magis ſobrii, qui, quot diuerſas operationes mentis ſentiunt, in totidem forulos quaſi, ſeiunctos a ſe inuicem animam humanam diſſecant?

§. 11.

Quae coeſtixunt, vel ſuccedunt ſibi inuicem, aut vnum in alterum tranſit; aut realiter influit.

Primo

Autor iterum philosophos iisdem cum plebecula sensuum fallaciis obnoxios esse contendit ~~accusat~~ eos annumerat ~~illos~~ his celebratum veteribus inter animam et animum discrimen. ~~Mirum ni simul Paulum Apostolum traduxerit qui in Epistolae suae~~ Verum si haec distinctio error est certe vulgari sensuum fallaciae acceptus ferri non potest, quippe non quod ita appareat sed quia ad explicanda humanae naturae phaenomena necessaria videbatur hypothesis consulto admissa. Et dubito an psychologi, qui in ancipiti quaestione hic temere et audacter statuunt, quemadmodum Autori videtur sobrii, an philauriae poculo inebriati, utrum cordati an nasuti vocari mereantur. Certe nostra aetate celeberrimus Unzerus in libro Physiologia ~~de Physica~~ Naturae humanae Corporis et nuperrime Anglus doctissimus Morgan in libro de Natura Rerum, mox germanica versione apparituro, ~~de Natura~~ ad eandem vitae duplicis explicationem tanquam ad sacram anchoram confugerunt. Vides itaque non hic vulgarem sensus fallaciam sed ~~quod erroneam~~ philosopho non indignam hypothesin emergere. Sed pergo ad §. 15. p. 15

Primo coexiſtentium vel ſuccedentium ſibi inuicem alterum alterius cauſſa creditur vulgo. Quid mirum! Rudi enim intellectui, quem, externis tantum relationibus intentum, nexus rerum internus fugit, et, qui tamen non minori, quam philoſophus ſtudio ſcrutandi occulta tenetur, quinam rerum nexus propior videbitur et commodior et apparentior, quam localis aut temporalis, praeter ſimilitudinem rerum, de qua ſupra diximus. Omnis phyſica et medicina plebeia et vulgaris philoſophandi ratio, omnisque ſuperſtitio, quae plantis, gemmis, radicibus et animalium partibus vim tribuit efficacem, videtur ex fortuita quadam coexiſtentia et ſucceſſione rerum cum effectibus, cauſſam ingenuam celantibus, orta et aucta. Quippe proxima quaeque animis vi occulta perculſis arripiuntur aeque, ac in tumultu publico primus quisque, qui tantum teſtis ſpectaculo adfuerit, ſaepius vt reus in carcerem trahitur. Praecipue mens, metu aut alio vehementiori affectu agitata, fluctuante ſimul phantaſia, ſociat plerumque remotiſſima quaeque, cum effectu nouo, tanquam cauſſas Exemplorum tanta eſt frequentia, vt ſibi quisque ex communi vita et vulgari ſuperſtitione, cuiuis regioni propria, ipſe, quantam iuuet, copiam cogere poſſit. Ex hoc quoque fallaciarum genere poetae petunt ſtyli colores, et iucundiſſimam phantaſmatum copiam. Reſpicias modo, quae ſupra allata ſunt ſympathiarum genera.

§. 12.

Secundo, quae coexiſtunt, vel ſuccedunt ſibi, tranſeunt in ſe inuicem, vel alterum cum altero confunditur. Nam, ſicut coerulea coeli facies limpido ſtagno immerſa, ſtagni fundus, et glaucus color non aquae datus, ſed proprius videtur; ſicut etiam in aqua flammam ſuppoſitam concipiente non liquet, vtrum flamma riget, an aqua flagret: ſic omnia, quae ſe contingunt inuicem vel loco vel tempore, alterum alterius naturam participant. Semper fere nos incitatiori affectu, aut phantaſia magis inflammata agitati, res ſimultaneas ſenſibus internis vel externis obuerſantes confundimus, vt nauita Auſonii in Moſella:

Tota natant crispis iuga motibus; et tremit absens
Pampinus, et vitreis vindemia turget in vndis;
Adnumerat virides *denisus nauita* vites.

§. 13.

Plurima ornamenta petit dictio poetica ex hac fallacia. Ad augendum enim quendam locum, aut personam aut factum, admiscere solent vel antiquitatem nominis et generis, vel praeclariora maiorum et potentiorum exempla. Quo artificio Pindarus semper vsus et leuissimis Athletarum et certaminum rebus dignitatem addidit admirandam: sicut ad detrahendum et minuendum, ridicula, plebeia, contemta, odiosa locis, personis et factis associari solent. Illa plerumque methodo panegyrici; hac satyrici et libellorum scriptores vtuntur optimo cum successu. Qua fraude eaedem res ab altero speciosiores, ab altero viliores repraesentari possunt. Quod docent Parodiae praecipue canticis sacris et locis biblicis accommodatae. In huius quoque methodi dolis maleuolum calumniatorum et detrectatorum genus valde exercitatum esse debet.

Porro, alia adhuc vis styli poetici in eo continetur, vt, simulac vnicum obiectum in vno momento, duplicem sensibus impertiat impressionem, alteram pro altera promiscuam illi tribuere soleant poetae, e. g. *frigus opacum*, pro frigida vmbra; *caligare formidine lucum*, pro: lucum caligine sua formidinem excitare. Sed magis adhuc styli poetici vis et pulchritudo augetur, quando ideae morales et intellectuales admiscentur corporum imaginibus, et vice versa, vt animas istae, illae corpora participent. In hac quasi *communicatione idiomatum* peculiarem sibi vindicat virtutem poesis, qua sororiis artibns, licet in caeteris certare possent, palmam praeripit. Nobile dat exemplum Virgilius:

Tris imbris torti radios, tris nubis aquo'ae
Addiderant, rutuli tris ignis, et alitis austri;

Fulgores

Fulgores nunc horrificos, sonitumque *metumque*
Miscebant operi, flammisque sequacibus *iras*.

Aeneid. l. 8. v. 429-32.

Aliud: *Die Sonne quoll hervor, wie Ruh aus Tugend quillt.*

Witthoff.

Hac, vt ita dicam, *transsubstantiatione* idearum, Klopstokius suo more, i. e. egregie vsus est, in repraesentando statu animae, quae somnians tam obscure cogitat, vt se ipsam a phantasmatibus suis non separatam, sed cum obiectis tumultuariis confusam sentiat. De Rahele vero in corpus nouum post Mess. resurrectionem reuocata, ita canit:

— Ihr daeucht es, als ob sie in Thraenen zerfloesse
Sanft in Freudenthraenen; hinab in schattende Thale
Quoelle; sich veber ein wehendes, blumenvolles Gestade
Leicht erhuebe; dann neugeschaffen unter den Blumen
Dieses Gestades und seiner Duefte Geruechen sich faende.
Ietzt erwachte Sie ganz —

Messias IIter Gesang.

Denique, hoc etiam lyricae dictionis proprium est, vt, si comparationem institueris, re comparata relicta, in comparatione ipsa moretur; ita vt, quae dici deberent de re ipsa, in simile et imaginem associatam transeant. Sic Virgil. in Georg. l. II. v. 37.

Iuuat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.

Et in Ecloga VI. v. 63:

Tum Phäethontiadas musco circumdat amarae
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.

§. 14.

Sigillatim quaedam naturae et cognitionis humanae Phaenomena discutiamns, quae omnia ad illam regulam reduci possunt.

a.) Obseruare licet quotidie, affectus humanos et auersationes et inclinationes fortuitas, ac rerum et personarum sympathias et antipathias e nulla re magis petere vires et alimenta, quam e coexistentium et successiuorum confluxu, quae vel sensu percepta, vel imaginatione repetita sunt. Si quis eroticum *Thyrsidis* Enthusiasmum probe obseruauerit, res omnes, quae dilecto capiti proxima sunt, venerationis et cultus, quem huic ipsi debet, participes fieri videbis. Nomen quidem et sedes et velum et strophium Dominae spirant amanti eandem suauitatem, quam Domina ipsa. In historia Poeseos illa aetas est maxime memorabilis, qua regnauit ille furor, quem *equestrem vel romanticum* vocamus. Sicut enim singulis propriae Phantasiae mentibus adhaerere solent: sic interdum singulas aetates et regiones et populos, singulari Enthusiasmo damnatos videmus. Talis est ille, qui in aula Arthuri primum inualuisse dicitur, et tunc per omnem Europam diffusus, diutissime regnauit in Hispania. Nouos hic mores genuit, phantasmatum et factorum monstra, ardorem et impetum animi singularem, et spiritum sublimem, antea inauditum. At, qui ingenuam phaenomenis huius faciem cognoscere velit, historiam istorum temporum ipse legat, et opera ex illa aetate nobis tradita, vel ad imitationem efficta. Ex quorum farragine *Ariostus* et *Tasso*, ille Italienorum Homerus, hic Virgilius, et *Spenserus* Anglus, immortalia sua opera condiderunt vtrique. Quid vero est, quod Heroismo equitum romanensi tantam fortitudinem, magnitudinemque animi, et tantam iustitiam et innocentiae tuendae et vlciscendae amorem addidit. *Amor* et *religio*. Ex quo enim tempore *feuda* inter Germaniae nationes publico iure constituta erant: in aulis Patronorum et principum noua morum elegantia nata est, quam et nostro adhuc idiomate, *aulicam* (Hoeflichkeit) vocamus. Nam cum Clientes et Vasalli

saepius

Hic Auctor notabile in historia Poëseos ~~aenigma~~ phaenomenon ~~se reperisse~~ et dignum Oedipo aenigma se reperisse arbitratur in Amore Petrarchae erga Lauram

saepius in aula Patroni et principis sui confluerent, feminis quoque nobilioribus ad augendam aulae pompam admissis, quibus istius aeui consuetudo ex pluribus caussis iam auctoritatem magnam concesserat: equites, quia reuerentia loci et ordinum et sexus discrimen liberiorum verborum et gestuum vsum interdixerat, delicatioribus animi signis, et maiori pudore ac modestia, rudes antea, conciliare sibi feminarum fauorem didicerunt. Muliebris vero ambitio, quum senserit, non vllo modo magis autoritatem suam posse augeri, quam moribus seueris quasi et delicatis assumptis: castitatem paene angelicam affectare coeperunt. Qua simulatione equites allecti simul et repulsi, dum feminarum fauorem diu semper efflagitabant et frustra, non solum ad desiderium tam vehemens, quam timidum, sed ad venerationem etiam et cultum rapiebantur fascinati. Tum plurimum valebant arma. Inde, quoniam apud Dominam quisque suam nulla re felicius, quam armis et fortitudine auctoritatem sibi et fauorem conciliare poterat, Enthusiasmus ille amoris animum incitabat ad miram audaciam; ita, vt inuocato amicae nomine ad pugnam se confirmarent, et in summis periculis acuerent, ac omne spolium et caedem tanquam Anathema et victimam Deae suae offerrent. Itaque *Mars* et *Venus* in phantasia equitum, tam ardenti amplexu, vt olim in reti a Vulcano fabrefacto, coaluerunt: vt, dum pugnare videbantur, amarent, et amantes pugnarent. At aeque *Religio* Heroismo illi immixta latebat. Bellum enim, quod in Saracenos Caroli M. tempore et postea in expeditionibus cruciatis gerebant equites, tanquam vindices et vltores et milites I. C gerere sibi videbantur. Quid multa? *Religio*, *Amor* et bellandi *furor* vna occuparant equitum animos ita, vt milites facile cum sauctis, et cultus Deae matris cum Amicae cultu, et furor religiosus cum amatorio et bellicoso confunderetur.

§. 15.

Aliud adhuc phaenomenon eiusdem generis in historia Poeseos notatu dignum iudico. Quis est, quin vel aliquantulum in re

re poetica versatus, *Petrarchae* et canticorum ipsius et *Laurae* famam audierit. Petrarchae amor in Lauram et castitate et vehementia et dolore et constantia tam singularis est, vt mereatur quaeri, quomodo et quando natus sit. Lauram, vt cantica ipsius docent, magis coluit poeta, quam amauit, magis vt Deam, quam Amicam, non amore terreno, sed aetherio et religioso, cultuque sanctissimo et integerrimo. Licet praesupponamus singularem Laurae formam et indolem, et feruidam Petrarchae phantasiam et ingenuum pulchritudinis gustum: circumstantias tamen quasdam respicere debemus, quae sane Petrarchae amori tantum sublimitatem et sanctitatem addidere. Cum enim preces matutinas soluturus, in aedem St. Clarae venisset poeta, prima hora Diei, quo mortem et crucem saluatoris nostri lugens ecclesia celebrare solet: vidit *feminam* inter caeteras *adorantem*, quae impraeparatum illius pectus tanta flamma, vehementi quidem, sed ingenua corripuit; vt per viginti annos non posset extingui. Quis non intelligit, quod sanctitas loci, vbi videbat Lauram, et mysticum illud tempus, et caelestis flamma, quae precantem occupauerat in Lauram transiret, vt diuinior, sanctior et Deae Matri similis videretur Petrarchae. Eadem quoque idearum associatione poeta Laurae suae sanctitatem in *Laurum* arborem transtulit; ita, vt postquam semel in hanc nominis et arboris transfusionem inciderat, Lauro, phantasia deceptus, eundem fere cultum et amorem praestaret, ac Apollo Daphnae. Ex hac eadem regula quoque illum aerium *musices italicae* characterem, caeteris exterorum modis et ebrietate singulari et sublimitate affectuum superiorem deriuandum puto. Nam, sicut caeteri hodiernae Musicae modi inter mensas et conuiuia et choros, laetitiae caussa, nati sunt: sic Italiae numeri, iam ab initio, templis et mysteriis assueti, sublimitatem ingenitam, canticis, quae romantica canebant, inseruerunt. Nam enthusiasmus romanticus et religiosus, qua mysticus vterque, vt in cultu, sic et in cantu facile in se inuicem transeunt.

§. 16.

medios inter actus adorationis concepto. Infelix autem ut mihi quidem videtur, operam perdit in castitate et vehementia ac constantia ipsius ex principiis suis explicanda. Hic ~~enim~~ certe Duo tantum opus est non Edipo. Facile enim perspectu est discrimen inter amorem Physicum et Poeticum. Amor physicus est concupiscentia dilectae personae, de poeta autem dicit Horatius: versus amat hoc studet vnum. Poeta speciosam amoris descriptionem sectatur, quae eo melius succedit quo magis a consuetudine cum amato obiecto remotus est. Sic Petrarcha primum aspecta Laura sua, non venustate ipsius ~~percu~~ captus et irretitus est, sed animo ~~ipsius~~ sito iam festiuis solennibus commoto, cum formosa quaedam facies, cultu praeterea atque luctu religioso languidum quicquam et pressa pectore desideria spirans, se obtulerit repente ortum est consilium, hanc idoneam versibus suis materiam fore. Hac autem idea, ut ita dicam, ictus nunquam periculum fecit an Laurae aliquando compos fieri posset sed quo diutius querelas et suspiria

ducere possit, ipsius amplexus fugit non nisi luctu suo poëtico h.e. sito et ad speciem composito se immergens, unde etiam illa ab auctore celebrata castitas sanctitas et aetherium aliquod ~~spirans~~ amoris quod ipsius carmina spirant abunde et facillime intelligi potest, absque ulla a fallacibus sensuum deprimenda hypothesi. Nubem enim pro Iunone amplexus simulacrum quod semel mente concepit more suo h.e. enthusiastice exornavit ceterum non Lauram sed versuum suorum elegantiam et ardorem nominisque sui celebritatem curans.

Notum tibi erit Petrarchae cum Papa colloquium. Qui cum ipsi aliquando diceret se vicem suam dolere sed curaturum ut Lauram suam uxorem ducere posset Poeta haesitavit mox aperte recusavit dicens se vereri ne si Laurae nupsisset versus sui omnem ardorem et elegantiam ~~suam~~ amitterent.

In matrimonio enim accidit quod Lucretius de morte ait: | Eripitur persona manet res

pag. 19

§. 16.

b.) Signa cum signatis in se inuicem influunt et transeunt. Cum intellectus, quando primum scrutari audet et abstrahere, abstracta et notiones puras signare oporteat symbolis aut vocabulis, quas, si effugere velint mentem, sensus et phantasia a fuga rursus retrahere possit: accidit plerumque, vt mens, dum notionem ipsam tenere se credat, in signo vel symbolo detineatur, et omnia, quae de signato deberent dici, de signo praedicet. Tum intellectus, relicta significatione, in symbolo enucleando se exercet, et vibratione quasi imaginum et idearum, sicut in vndis a sole radiantibus, se ipsum obcaecat, et nimia tremulaque luce caecutit. Haec a rebus aetheriis et diuinis abstracta, si cum signis suis confunduntur sensitiuis, *Mysticam* constituunt.

§. 17.

Quam procliuis vel philosophico ingenio sit lapsus ad has fallacias, ex Pythagorae exemplo videmus, qui, quanta perspicacia et acumine in *numeris* et *figuris* vsus est, tanta mentis vertigine in *Metaphysicis* agitur. Et non mira haec in eodem Viro diuersa sors. Nam, cum in Arithmeticis *numeri*, et in Geometria *figurae* signum sint simul et signatum: nulla horum confusio locum habet. Sed aliter erit cum qualitatibus rerum, quarum significatio per symbola, Hieroglypha et vocabula adeo semper fluctuat, vt, qui nexu vero inter signum et signatum neglecto, aut detorto, aut plane amisso, e vero significatu excidit, ad monstrosissimas delabatur ineptias.

Signa quidem rerum abstractarum vel *naturalia* sunt; vel *scripta*, vt Hieroglyphi Aegyptiorum, numeri Platonis et Pythagorae, lineolae Sinensium; vel *fabricata*, vt statuae et monumenta; vel *moribus instituta*, vt sacrorum ritus et ceremoniae; vel *enunciata*, vt parabolae et vocabula.

§. 18.

Numeris quantam vim et potestatem concesserit Pythagoras, bene

Itum verae voces elicuntur, et denum

bene nouimus; ſed non aeque certam ipſius mentem. Ἑπτὰς καὶ Τετρακτυς tantum illi myſterium erat, vt in his omnia diuina, magna, mira comprehenderit. Fac, vt, ſicut vulgo explicatur, Τετρακτυος numero nihil aliud innuerit, ac numerum quatuor elementorum et ὡρῶν; et *ſeptenario*, planetarum numerum: vtrumque tamen ſymbola conſtituit omnium affectionum et poteſtatum naturae, ſpiritualis et corporeae; et ſimul Δημιουργοῦ ipſius et omnium Daemonum ab illo pendentium. Vnde nihil ſanctius habuit iuſiurandum, quam per quaternarium:

Ναι μα την ἡμετερην ψυχὴν γεννησαντα Τετρακτυν,

Παγαν αενναου φυσεως.

Qui enim aliter fieri potuit, ac, vt hoc ſymbolum numerorum cum ſignatis ſuis coaleſceret; et omnis, quam diuinae poteſtates mererentur, admiratio et cultus in numeros ipſos transferretur. Eadem fuit Metamorphoſis in *Runarum* formis, quae ab Odino inuentae, et a poteſtatibus rerum mirabilibus, quas repraeſentabant ab initio, occultam poteſtatem mutuatae, magica tandem inſtrumenta factae ſunt. Et Kabbalam, tantis ineptiis infamem, ex hac ipſa fallacia, traxiſſe figmenta ſua, ſuſpicari licet. Decem illae Sephiroth, litterae aut numeri, tam magnifica laude et cultu exceptae, quid aliud erant, ac ſymbolum, quo (id quod epitheta illis magnifice addita facile produnt) innuere vellent mundi creationem eiusque poteſtates ineffabiles. At vero ſymbolum illud deuorauit omnem ſignificatum. Nouum rurſus exemplum, quod inſipidiſſimae fabulae oriantur ex ſapientiſſimis ſententiis, aut male intellectis, aut detortis; dum Metaphyſicum agere affectat phantaſia. Quem hic non ſubeunt recentiores myſticorum (vt vulgo dicuntur) ineptiae; *Jacobi Boehmii*, *Bordagii*, (*a*) *Swedenborgii*,

(*a*) Cuius triumuiratus inter myſticos, multa fama et infamia celeberrimi, ſecundus ille, Anglus, minus quam reliqui notus, meditationes ſuas ſub ſequenti titulo exhibuit: *Goettliche und wahre Metaphyſica; oder wunderbare durch eigene Erfahrung erlangte Wiſſenſchaft der unſichtbaren und ewigen Dinge etc. dergleichen noch nie ans Licht gebracht*,

Sed ad finem propero et cum in multis aliis, quae durius tulis
detigi ~~saltem utrumque philosophicis~~ saltem provincia
mihi demandata extra teli iactum posita fuerit
nunc in locum dissertationis impingo qui Logico utut
Philosopho stomachum movere possit. Auctor Ex-
postquam de fallacia sensus per quam vim ac potestates
Signatorum in signa perperam transferimus abunde
disseruerit ad finem §. 18 ita pergit: ee
Nonne auctor hac criminatione crabrones irritari
de illorum ira timendum erit? Genus enim Logicorum
admodum pugnax est quam vix quisquam impune
lacessit. Et hic certe Logici fraudis falso arguuntur.
Nam non ~~pollicentur~~ promittunt formulas quibus
vis magna et occulta insit ad extorquendas omnis
generis veritates quemadmodum ~~Zu~~ ipsis hic exprobatur
Sed Mechanismum tantum circa positum termi-
norum in Syllogismis oculis subiciunt eo fine,
ut ~~veluti Gram~~ quod faciunt Gramatici in linguis
~~Idem~~ in usu ~~genuo~~ intellectus generali patescat
nempe formula generalis signandi cognitione absque
ullo respectu ad ~~interpretationem~~ materiam in ~~illam~~ contentam habito.

borgii, qui omnes, dum philosophantur, se adeo immergunt symbolis, vt his omnia tribuant, quae de rebus signatis abstrahunt. Quare subtilissimae notiones in corpora, et symbola corporea in subtiles spiritus transeunt. Non absimili paene fraude Logicos etiam scholasticos recentioris aeui fascinauerat quaedam terminorum syllogisticorum constellatio: *Barbara celarent etc.*; adeo, vt, vel nexu praepositionum interno neglecto, illis quasi ingenii tormentis vim magnam et occultam inesse crederent, ad extorquendas omnis generis veritates.

§. 19.

Aliud symboli genus sunt Hieroglyphi. Cultus animalium Aegyptiis proprius et varietate sua, nulli Analogiae subiecta, phaenomenon in historia Idololatriae tam monstrosum est, vt omnes veteres et recentiores in origine illius et incremento inquirendo et enucleando laborauerint. At certe nulla singulorum sententia, nec sacerdotum Aegyptiorum, nec Plutarchi, nec Moshemii, nec caeterorum sufficit sola, vt populi sapientissimi insania ad rationis et consilii regulam, ne phantasiae quidem luxuriantis redigi possit. Licet diuersae illorum caussae suum quaeque ad hunc superstitionis abortum contulisse videantur: hieroglyphis tamen neglectis, omnes illae nullum robur habent; adhibitis autem, fidem et robur et nexum accipiunt. Vt breui (*b*) dicam, scimus, quod proprietates Deorum signis ab animalibus sumtis expressae fuerint. Tali modo praeparabant Hieroglyphi animos ad plures et interiores animalium similitudines cum Diis obseruandas. Simulac igitur animalia viui Deorum hieroglyphi, fierent, et quasi theologia viua et ambulans; sicut antea tantum picti et sculpti: transitu quoque leui sanctitas signatorum et cultus ad signa transferri coepit. Eadem quasi transsubstantiatione,

 Heroes

gebracht, so lange die Welt gestanden, durch Johann Bordage der Arzeney Doctor. Aus dem Englischen vebersetzt. Frankfurt und Leipzig. 1715.

(*b*) Plura de hac re inueniens in: *Meiners philosophischen Schriften.* I. Theil.

Haechuc trapi non potest

Duo cum faciunt idem non est idem. Logici enim cum Logico certamen a meum est. Sed si hostis externus irrumpat omnes velut agmine facto in illum ruunt.

Heroes et Dii, certis mundi ſiderei partibus aſſimilati tanquam ſignis, ant inſerti, tanquam ſedibus, tandem longa die confuſi ſunt cum partibus mundi ipſis; vt a ſtoicis numen ſummum Δημιουργος cum ipſo mundo opere ſuo, tanquam ſui parte.

§. 20.

Deinde materiales formae, vt ſtatuae, monumenta, templa, amuleta maiora et minora prius non alia auctoritate valebant, ac ſigna Deorum, ſacrorumque ſymbola, primaeua aetate, nulla arte, nec forma animali, nec humana expreſſa. Sub lapide quadrato Deum repraeſentabant Arabes; alii ſub trunco deformi, vel columna, vel pyramide, vel haſta: ſicut enſem ſcythae adorabant. Nec Romani veteres ipſi vllum in templis pictum aut ſculptum Dei ſimulacrum adhibuere per CLXX annos. Poſtea vero, quum ſacrorum auctores, arte iam ſculpendi et pingendi aucta, Deorum cultum maiori dignitate augere et decorare vellent; et mortalium animum, qui corpori humano ineſt, immortalis animi ſimillimum haberent: Deorum ſimulacra ſpecie hominis facere coeperunt. „Tanquam, ſi vaſa ponerentur cauſſa notandorum Deorum, et in Liberi Dei aede Oenophorum ſiſteretur, quod ſignificaret vinum, per id, quod continet, id, quod continetur: ita, per ſimulacrnm, quod formam haberet humanam, ſignificari animam rationalem, eo quod, velut vaſe, natura iſta ſoleat contineri, cuius naturae Deum volunt eſſe vel Deos.“ *B. Auguſtinus in Lib. VII. de ciuitat. Dei. Cap. V.*

Mox autem obliti ſunt Deum cultores, ſigna tantum Deorum eſſe lapides et formas; mox illas aeque ſacras crediderunt, ac Deos, omni iniuria immunes; mox, ſicut *Tibetani* Dalai Lama ſuum, viuam ſtatuam, omnia ſimulacra, tanquam dulciſſimum Numinis domicilium et ſedem, quae Numen immortale infuſum penetraret, ſtatuerunt. Ex quo truncus, aut lapis aut figura credita eſt, omnia ſentire, laetari, irritari, fauere, odiſſe, vique diuina pollere; vnde ſpem et metum omnem repetere coeperunt. Idem error et caetera ſacrorum monumenta adulterauit. Sic in aras, vaſa, arbores et omnia, quae cultui diuino adhibentur, ſancti-

ſanctitas et vis et poteſtas diuina tranſit. Itidem locis, numini certo dicatis, non deeſſe poteſt timor et veneratio, et aliquid ex cultu, numini ipſi praeſtito. Non minus gemmae, plantae, lapides, animaliumque partes, tanquam rerum diuinarum ſigna, diuinam poteſtatem et ſanctimoniam facile participant. Vnde etiam amuleta maiora et minora, vel arte comparata, ſicut Talismani; vel coelo delapſa, ſicut Ancile et Palladium, ſanctitatem traxerunt, et cultum rebus, quarum ſigna ſunt, communem. Id quod docere poteſt *Priapus*, imagunculae *Labani*, Papiſtarum reliquiae ſacrae, et Graecorum περιαπτα, περιαμματα, et εξαρτηματα. Quam vero obſeruationem et ad reliquas ſignorum ſpecies, ad ceremonias nempe et ritus; itidem ad ſigna enunciata, Nomina propria, Hymnos, et parabolas accommodandam cuilibet relinquo.

§. 21.

At vero aliae adhuc ſuperſunt confuſiones lege *Continui* factae, quarum aliquot tantum innuere volo fugitiuus.

Abſtracta ſaepe confunduntur cum ſuis coneretis. Delectantur poetae hoc fictionum genere. Vnum pro omnibus exemplum tetigiſſe iuuat, Horarum fabulam. *Horae*, ſi Allegoriam plenam expediamus, nil aliud ſunt ac tempus et temporis viciſſitudines, in quibus omne, quod pulchrum eſt et perfectum, generatur, creſcit, maturatur, perficitur, ſecundum ordinem et naturae leges, a Ioue inſtitutas. Inde natiuitatem ex Ioue et Themide, et nomina quoque acceperunt. Quicquid igitur perfectum, maturum, pulchrum perficitur, et augetur per aliquod temporis ſpatium, ab *Horis*, tanquam cauſſa effectrice perfectum praedicatur. Tali fere modo, quo metaphyſici quidam ſpatium et tempus, cum rebus ipſis, a quibus abſtrahuntur, confundere ſolent. Caeterum in Horarum fabula, ſicut in illa Parcarum, quicunque ſapit, ſplendidum primaeuae metaphyſicae ſpecimen, poetice tamen ornatum, cognoſcet; et exemplum, quod et ſubtiliſſima Metaphyſices abſtracta, pulcherrima Poeſeos materia fieri poſſint, phantaſia adhibita.

Cauſſa cum effectu, et vice verſa; nec minus adiunctum cum re ipſa confunditur. Nec philoſophos ipſos huius fallaciae ſemper immunes eſſe nouimus. Eſt, qui aſſirmat, lapidem, quem manu iacularis, non aliam ob cauſſam volare, motumque ſuum continuare, quam, quod aer lapidem inſequitur et propellit: cum tamen potius lapidis impetus, aere propulſo, viam ſibi aperiat ipſe. Sic alius forſan bonus diceret: medicos efficere morbos; nam vbi plures inueniuntur medici, plures quoque morbos inueniri. Praecipue vero his illuſionibus dictio poetica abundat: *Frondes cauunt; laetum vinum; die ſchwindelnde Tiefe;* et omnia, quae per *hyſteron proteron* dicuntur:

Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas. Tibull. l. 1. el. 8. *Dare claſſibus auſtros.* Sic fere, vt, quicunque ceciderit, lapide obſtante, vel caput arbori illiſerit, animo agitatus, non ſe, ſed lapidem aut arborem malignam tanquam doloris autorem accuſat et damnat.

Et *fines* cum *mediis.* Quae confuſio idololatriam practicam valde auxit. Ritus in ſacris ad pietatem in Deum exprimendam, ac animos ad veram adorationem praeparandos, adhibiti, ſemper fere pro cultu ipſo mentis ingenuo ſumuntur. e. g. Perſis et Indis, purificationes, ſymbola tantum ad indicandam mentis puritatem, pro puritate et ſanctitate ipſa valent. Aqua luſtralis Pontificiorum; ſignum crucis externum, et reliqua, eiusdem generis ſunt; quae quidem omnia externa rerum ſpiritualium ſigna et media, in locum interni cultus ſpiritualis ponuntur; et ad religionem ſuperficiariam et hiſtrionicam referri poſſunt. Omnibus his, quas recenſui, transformationum generibus, epitomes loco, ſubiicere liceat, quae *H. Vida Cremon.* ſigllatim de dictione poetica canit, Lib. III. Poetic. v. 58:

Vsque adeo paſſim ſua res inſignia laetae
Permutantque, iuuantque viciſſim, et mutua ſeſe
Altera in alterius transformat protinus ora.
Tum ſpecie capti, gaudent ſpectare legentes;
Nam diuerſa ſimul datur e re cernere eadem
Multarum ſimulacra animo ſubeuntia rerum.

CON-

CONCLVSIO.

Amphora coepit
Instituti; currente rota, cur *vrceus* exit?

Rem, quam hucusque tractaui, verum cognoui Proteum, quem deprehendere et continere, ne sua versatili forma deludat tenentem, vni tantum Menelao et Aristaeo, Deorum ope vsis, contigit. Equidem optime noui, quam suspenso pede accesserim illum; quanta vi inuaserim; quanta tenacitate tenuerim. At mihi tamen, lassis manibus, prius elapsus est, quam ad pristinam, qualem dormientem videram, faciem rediret. Sensuum enim et phantasiae operationes inuestigare iucundissimus quidem labor; minori tamen plerumque successu absoluitur, quam instituitur. Quis est, qui florem rosae intricatum explicare possit tam sollerti manu, quin vna colorem laedat et structnram. Et Anatomicus, qui motum cordis vitalem inuestigaturus, hoc sanguinis receptaculum incidit et dissecat; nonne vitam, quam quaerit, secando necabit, et officinam vitae perscrutando destruet? Quod mihi in penetralia sensuum et Phantasiae penetranti accidisse sentio.

Attamen ex omnibus, quae disserui, patebit, me non plenam fictionum *Hermeneuticam* instituere voluisse; (forsan omnes obseruationes meae ne vnam quidem fabulam ex omni parte enucleare sufficerent,) sed inuestigare tantum rationem et methodum, qua mens humana ad qualecunque fictionum genus aberret et deflectatur. Mythologiae *Metaphysicam*, nisi nomen esset nimis ambitiosum, nominarem. Contra, si originem et progressum Idololatriae et orbem mysticum huius vel illius gentis explicare auderem; multo alia via et ratio instituenda fuisset: Meum fuisset, ostendere: quo decliui via homo sibi relictus, a simplici Dei Vnius cultu ad cultum Naturae, operis diuini, aberrauerit; quomodo descenderit, et quantis interuallis a naturalibus Diis ad animales; quantum ex climate, rerum patriarum statu, et indole gentis natiua natum sit; et quantum aliunde per colonias, bella, commercia introductum, mutatumque sit;

quantum

quantum legislatores et poetae, vna antiquitus persona, excogitauerint; qualis fuerit *Theologiae politicae* facies; quales ritus et cultus publicus; quantum sapientes ad rerum naturam et mores attenti, inuenerint ad ingenia rustica instruenda et mollienda, Allegoriis vsi; quo temporis decursu, et quanam negligentia, ignorato Allegoriarum sensu, ex Diis allegoricis, historici prognati sint; quantum denique poetae, qui prius cum sapientibus et legislatoribus conspirabant, nunc ab his segregati, sicut sapientes a legislatore, contulerint ad amplificandam fabularum materiem, non ad doctrinae, sed delectationis vsum: haec et alia. Ab altera parte, si animus fuisset, tractandi vsum fabularum aestheticum, prodendique artes, quibus poetae fictiones cycli mythici operi poeseos qualicunque accommodant, tritas innouant, nouas inueniunt: dicenda mihi quidem fuissent plurima, a re mea non aliena. Attamen his omnibus generaliores nostrae obseruationes fuissent substratae.

Bibliotheca universitatis Jurievensis

Sed iam exhausta pharetra certamini finem impono. Et primo quidem de re hactenus feliciter gesta ex animo gratulor. Deinde tibi Vir Exc. hastam quam nactus es egregie ornatus auspicatissimum muneris tui initium et felices successus ex animo apprecor. Ab elegantioribus literis affatim instructus, ~~tempti~~ Poetarum in variis linguis, tam antiquis quam recentioribus lector et iudex iubatus, splendidorum quae ad nos a Graecis potissimum translata sunt exemplarium cultor strenuus ac felix fieri non potest quin iuventuti academicae amplum pandas ingenii colendi campum ut profligata barbarie artium ineant cum gratiis connubium quod eius tamen haud inuidente Minerva utiliorum scientiarum ac artium fautrice fieri potest. Quos tuos labores et merita ut secunda fortuna rei etiam domesticae flore remuneretur opto simulque me tuae benevolentiae ac amicitiae commendo.

simulque suorum numen vitam ac sanitatem longe

Tandem ad te converto. Respondens perexime quem egregiis animi dotibus a natura praeditum a literis tam elegantioribus quam utilioribus haud perfunctorie instructum simulque morum lenitate amabilem

Auditoribus meis lectissimis dudum annumerari.
De hoc ingenii et doctrinae specimine hacusque cum
laude praestito primum ex animo gratulor.
Et cum iam tempus instet quo, quam impiger
collocasti operam et quam liberalis spiritus segetem
illa tibi pro meritis larga messe rependatur.
Spei tuae iure conceptae fortunatos et non cunctantes
successus opto. Ceterum ut te summum numen tectum
te ac incolumem servet precatus
Valete amb et favete.

Bibliotheca
universitatis
Jurievensis

10642